



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1602**

Cap. Libri vndecimi sunt XXIV. De secundo præcepto Decalogi, Non  
assumes nomen Domini tui in vanum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14077**

lingua, & Sermone recitari debeat? Hæretici contendunt id ita fieri oportere. At Synodus Tridentina *sess. 22. Canone 9.* contrarium sancit, his verbis: *Si quis dixerit, vulgari tantum lingua Missam celebrari debere, anathema sit.* De hac quæstione supra suo loco breuiter disputauit.

Decimoquinto quæritur, An vsus Missarum priuatarum e medio tolli, & abrogari debeat; Et an fuerit in Ecclesia peruetustus? Hanc quæstionem tractat Durant. *li. 2. de ritib. Eccl. Cathol. c. 4.* vbi testimonij S. Ambrosij, Augu. Chrysof. Nazian. Prosperij, Iustini, vsus priuatarum Missarum comprobatur. Hæretici contendunt, Missas priuatas, quæ scilicet absque populi conuentu celebrantur, vel in quibus nullus præter Sacerdotem, sacram communionem sumit, esse abolendas, quia olim Missæ non celebrabantur nisi cõueniente, & astante populo, & Sacram Eucharistiam sumente. At Synodus Tridentina *sess. 22. Canon. 8.* definit: *Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit, & idem decernit c. 6.* Aiuunt præterea Hæretici, Lutherani, & Caluiniani, ante Gregorium I. non fuisse in vsu Missas priuatas, sed tantum publicas. Certè quamuis olim Missæ publicæ colerentur, priuatae tamen erant etiam vsu receptæ, nec quipiam video esse, quod impediat, quo minus Missæ priuatae celebrentur. Obijciunt nobis Canonem X. Apostolorum, & Canonem Anaclei in c. *Peralta. De consecr. dist. 2.* vbi excommunicatione afficiuntur, qui ante discedunt à templo, quàm sacrificium finiatur: & qui sacram Communionem non sumunt: item Canonem Sotheris in cap. *Hoc quoque. De consecr. dist. 1.* vbi habetur, illam esse legitimam Missam, in qua adsunt Sacerdos, respondens miser, offerentes astantes, & communicantes. Respondeo, hos Canones id decernere, quod tunc de more fiebat; at progressu temporis vsu abrogati fuerunt. Obijciunt deinde illa sacri Canonis verba: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sumserint, & sacramenta, que sumpsimus, ergo in Missa plures debent adesse, & Sacram Cõmunionem percipere.* Respondeo, ea verba in Missa dici iuxta morem pristinum: nihilominus etiam nunc verè dicuntur, quia Sacerdos ea dicit publico Ecclesie nomine: sicut quando orationem Dominicam priuatim quisque recitat, dicit, *Pater noster; & Domine nobis debita nostra, sicut & nos dimissimus debitoribus nostris.*

Decimosexto quæritur, An vsus Ecclesie, quo in Missa quædam alta voce, alia tacitè, & silentio dicuntur, reprehendi merito queat? Hæretici, suo more, reprehendunt: sed eos damnat Synodus Tridentina *sess. 22. Canon. 9.* Christus Dominus nihil de hære constituit, sed liberum Ecclesie reliquit, ut quicquid vellet decerneret. Græci quidem licet quædam in silencio dicant, alia voce alta pronuncient, verba confectionis alte proferunt: sed Latina Ecclesia, & consecrationis verba, & multa item alia tacite pronunciat iustis de causis, ne videlicet ea ad omnium aures perferantur, & sæpius audita faciliè contemnantur, vulgus enim quæ sæpe repetita audit, despiciere consuevit.

FINIS LIBRI DECIMI.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER XI

DE SECUNDO PRAECEPTO Decalogi, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

CAPVT PRIMVM.

*Quidnam hoc Praecepto imperetur.*

**I**LLVD primo loco quæritur, quidnam secundum in Decalogo Dei præceptum imperet, quid vetet? Respondeo, in hunc modum: quando lex aliquid fieri prohibet, in eo etiam simul continetur præceptio earum rerum, quas præstare quisque debet: Vnde cum hoc secundo præcepto, quod nomen Dei in vanum vsurpare vetat, coniuncta quoque est lex, quæ nomen Dei honorare, & per illud religiosè, & sanctè iurare præcipit. Prohibet igitur hoc præceptum, quo minus quis sacrosanctum Dei nomen contemnat, polluat, vanè vsurpet, quominus item per ipsum, aut falso, aut frustra, aut temerè iuret. Nam adeo omnia iureiurando affirmantur, aut negantur: adeo omnia imprecationibus, & execrationibus referta sunt, ut nemo ferè, vel vendat, vel emat, vel negocij aliquid gerat, qui non iusurandum interponat, Deique sanctissimum nomen millies, vel in re leuissima, & inani, temerè non ad testimonium adhibeat.

Secundo quæritur, Quid Dei Nomine in hoc præcepto intelligatur? Profectò, cum iubemur debitum diuino nomini honorem tribuere; non iubemur ipsius nominis literas, & syllabas, aut omnino per se nudum verbum tantummodo attendere, sed in eam cognitionem mentem, & animum conjicere, quidnam valeat, quid contineat, quid significet illa vox. Non igitur nomen Dei honoramus, & colimus propter ipsum vocis sonum, aut propter literas, & syllabas, quibus constat; sed propter immentam Dei maiestatem diuino nomine significatam. Deinde, hoc præceptum; quod nomen Dei imperat honorari, non de vno aliquo nomine, sed de omnibus, quæ Deo tribui solent, intelligendum est, multa enim Deo indita, ac posita sunt nomina, ut Domini, Omnipotentis, Altissimi seu Excelsi, Regis regum, & alia id genus, quæ in scripturis passim leguntur.

Tertio quæritur, Qua ratione diuinum nomen veneremur, & honoremus? Respondeo, nos colere, & venerari Dei nomen in primis, cum lauda-

mus Deum; item cum in hominum conspectu ipsum Deum, ac Dominum nostrum confitemur, cum eum sicut honorum nostrorum auctorem agnoscimus, sic etiam predicamus: item cum eius sermones, & verba studiosè addiscimus, legimus, audimus, & religiosè, & honorificè tractamus. Deinde, cum de omnibus rebus, tum prosperis, tum aduersis Deo singulares gratias agimus, dicentes cum Iob: *Sit nomen Domini benedictum.* Præterea, nomen Dei honoramus, si fidenter eius opem, & auxilium inuocamus, quo nos scilicet ab aduersis liberet, aut ad eadem fortiter, & constantè perferenda, vires, & constantiam largiatur. Postremò, nomen Dei honestamus, cum fidei faciendæ gratia Deum quasi testem aduocamus, quod est per Deum religiosè, & sanctè iurare.

Iob. 1.

Quartò queritur, Quænam hoc Præceptum prohibeat? Respondeo, ea omnia peccata prohibere, quibus Dei nomen polluimus; nimirum ea crimina, quæ committuntur contra religionem, qua Dei nomini honorem, & cultum deferre debemus. **ROGABIS**, ad quæ capita potissimum ea crimina reuocantur? Respondeo, quæ hoc Præceptum peccata violant, redigi posse ad hæc capita. **Primò**, cum quis malè iurat. **Secundò**, cum promissionem iureiurando firmatam nõ seruat. **Tertio**, cum quis malè votum facit. **Quartò**, cum vota facta violat. **Quintò**, cum quis maledictis, ac conuictis sanctum Dei nomen insectatur, vel afficit. **Sextò**, cum quis diuinis verbis in concionibus ad populum habitis abutitur. **Septimò**, cum precatationibus ad Deum, vel sanctos cæli incolas effusus malè vitur. Quare in hoc Præcepto disputandum nobis est de iureiurando, de Periurio, de Voto, & cæteris, quæ ad hæc tria capita referuntur.

Quintò queritur, Quisnã sensus sit Præcepti, quod vetat; Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum? Respondeo, sensum triplicem esse posse. **Primus** est: Non assumes in vanum, hoc est, pro re nullius momenti, pro re futili, & inani. **Alter** sensus est: Non assumes in vanum, hoc est, frustra: quasi dicat, Ne iures in eius nomine, nisi necessitate compulsus. **Tertius** est: Non assumes in vanum, hoc est, mendaciter; tanquam diceret: Ne iures per nomen Dei mendaciter: mendacium enim, & quicquid est falsum, & fictum, hebraico more dicitur vanum. **Qui** sensus mihi valde probatur, & perinde est, ac si dicatur: Nil falsi Deo teste aduocato iureiurando confirmabis: in vanum, hoc est, pro vano, pro falso.

## Caput II

### Quid sit Iusurandum.

**PRIMO** queritur, Quo pacto iusurandum, quod Theologi, Canonici, & Ciuilibus iuris interpretes Iuramentum appellant, definiatur? Respondeo, iusurandum esse affirmationem, vel negationem sacræ rei attestatone affirmatam. Vnde Hofstien. in sum. tit. de iureiuran. Abbas, Felinus, & alij in rub. de iureiuran. Bal. l. i. ff. de iureiuran. ac reliqui, vt refert Couarruu. in cap. quamuis de pact. part. 1. §. 1. num. 1. definiunt esse affirmationem, vel negationem alicuius rei licitæ, & quæ fieri possit, sa-

cræ attestatone munitam. Cicero libr. 3. de offic. iusurandum, inquit, est affirmatio religiosa, quod autem affirmatè quasi Deo teste promiseris, id tenendum est: nam enim non ad iram Deorum, quæ nulla est, sed ad iustitiam, & ad fidem pertinet. Sic ille. Alij definiunt esse actum, quo diuinum nomen fidei faciendæ causa adhibemus. Nam cum iuramus, Deum quasi testem eius, quod dicitur, inuocamus.

Quidam, è quibus sunt Selua. in tract. de Iureiur. quest. 1. Corlet. in rubr. de iureiur. vt Couarruu. titatur in cap. quamuis pactum, de pactis part. 1. §. 1. num. 1. has Iurifurandi definitiones oppugnat, eo in primis argumèto, quod quis cum per Idola, & Simulacra, vanaque, ac ficta Numina iurat, licet male faciat, iurifurandi tamen vinculo tenetur, & tamen non confirmat id, quod dicit, nominis diuini, aut rei sacræ attestatone. Deinde, cum per creaturas, inquit, iuramus, iureiurando obligamur; & tamen creatura res sacra non est. Postremò, cum per sanctos patris cælestis incolas apud Deum regnantes, quis aliquid iurat, sese iureiurando obstringit, cum tamen nec Deum testem adhibeat, nec rem diuini nominis attestatone confirmet.

Sed ad hæc omnia facilè respondeo, ad Iusurandum sufficere attestatorem rei, quæ verè sit facta, aut quæ apud homines talis habeatur, hoc est, quæ reuera, vel hominum opinione sit sacra. Cum enim homines ethnici per Idola falsosque Deos iurant, verè iurare censentur, quia apud eos pro veris Dijs habentur. Præterea, licet creatura res sacra non sit, per eam tamen iuramus, quia eam adhibemus in testem tanquam aliquid, in quo Dei veritas refulget. Vnde non per creaturam iuramus propter ipsam, sed propter Deum, qui in suis creaturis elucet, & ita creaturam testem aduocamus tanquam aliquid Dei. Eadem ratione iuramus per sanctos cælestis patris, & aulæ ciues, in quibus Deus ipse, tanquam in animatis templis sibi dicatis habitat, & colitur. Omne igitur iusurandum habet Deum, vt testem, expressè, vel tacitè, seu occultè, & implicite. Latins Sacramentum idem erat, quod iusurandum cap. Qui Sacramento, 22. questione quarta: in Authem. Sacramenta puberum, c. Si aduersus vend. §. item Sacramenta de pace sen. teste Felso, id Sacramentum dicitur, quod iurifurandi sacratioue interposita geritur. Hinc militæ Sacramenta: nam auctore Veget. libr. 2. de re militari, milites iurare solent. l. miles agrum. §. ignominiosa. ff. de re militari.

Secundò queritur, An iusurandum sit aliquò laudabile? Respondeo, esse; nam Diuina lex iubet: *Dominum Deum tuum timebis, illi soli seruias, ac per nomen illius iurabis.* Dauid quoque; *laudabuntur*, inquit, omnes, qui iurant in eo. Ex Apostolorum Epistolis constat, eos aliquando iurasse. Apocal. 10. legimus Angelum iurasse per viuentem in sæcula sæculorum: nec non, & Deus ipse, vt ex veteri Testamento liquet, sæpenumero iureiurando vsus est. Item, iusurandum, religionis est officium, & opus, quo credimus Deum totius veritatis auctorem esse, qui nec decipi vnquam possit, nec alios decipere; cuius oculis nuda, & aperta sint omnia, quique rebus omnibus admirabili prouidentia consulat. Hac item religione imbuti homines, Deum veritatis testem adhi-

bent, vt

Deut. 6.

Psal. 62.

Hebr. 4.

bent, vt ijs iurantibus fidem non habere, impium, & nefarium sit. Denique iusurandum est maximum remedium expediendarum litium. l. i. ff. De iureiurando.

Tertio queritur, An iusurandum in Euangelio generatim prohibeatur. Olim quidam Echnici Christianos calumniabantur, & aliquando ex necessitate iurare solitos, tanquam Euangelij violatores accusabant. Aiebant enim illi, Christum Dominum in vniuersum iusuradum interdixisse Matth. 5. illis verbis, *Audistis, quia dictum est Antiquis; Non periuurabis. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per calum, neque per Hierosolymam, neque per terram, neque per caput tuum. Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non, quod autem his abundantius est, à malo est. Idem penitus docuerunt quidam Hæretici V Valdenfes nominati, Ioann. V Viclef, & nunc Anabaptistæ.*

Sed constans est Theologorum sententia, non esse iusurandum generatim, & simpliciter in Euangelio damnatum; sed vt frequens iurandi usus è medio tolleretur, præcepisse Christum Dominum, ne omnino iurarem. Item, peruersum Iudeorum iudicium eo loco Dominus coarguit, quo sibi in animâ induxerant nihil in iureiurando cauendum esse propter mendacium, quo fiebat, vt de rebus leuissimis, & nullius momenti, & ipsi iurarent frequentissimè, & ab alijs iusurandum exigent. Hunc ergo morem, & consuetudinem deprauatam, quæ apud eos inoleuerat, Dominus reprehendit, & docet, ac iubet omnino esse à iureiurando abstinendum, nisi ad id nos necessitas impellat. Et quamuis Basil. serm. primo in Psalm. 14. Hieronym. Math. 5. Theophylact. Euthym. Math. 5. iterum Euthym. in Psalm. 14. Oecumen. cap. quinto, in Epistola Iacobi. Chrysostomus, in Math. 5. & hom. 19. ad populum Antiochen. & homil. 15. in Genesi. & homil. 9. in Acta Apostolorum. Auctor operis imperfecti, in Math. cap. 5. homil. 17. & alij quidam ex Patribus docere videantur, iurare, esse per se malum, & in veteri lege Iudeis fuisse permissum, vt minus malum, ne videlicet illi per Demones, aut simulacra iurarent, at in noua lege esse penitus interdictum: Augustinus tamen peripicue docet, & affirmat iusurandum interponere aliquando licere. Et id quoque docetur, & traditur in iure Canonico, capit. Omne, cap. Non est, cap. In nouo, cap. vt Noueritis 22. question. 1. ex Augustino. Nam iusurandum ea tantum de causa institutum est, vt esset tanquam remedium quoddam humanæ imbecillitatis, & ad fidem faciendam rei, quam dicimus, necessarium instrumentum. Quemadmodum igitur corpori medicamenta adhibere non expedire, nisi necesse sit, eorundem verò frequens usus solet esse noxius, & perniciosus: ita etiam, nisi cum grauis, & iusta subest causa, iureiurando vti salutare non est; quòd si frequens adhibeatur, tantum abest, vt proficit, vt magnum detrimentum, ac perniciem afferat; & Innocentius tertius, in cap. est Christus, de iureiurand. plane docet, quædam esse per se mala, vt furtum, adulterium, & hæc, quia, per se mala sunt, prohibentur, & nunquam sunt facienda: alia verò prohibentur alia ex causa, non quia per se mala sunt, sed quia si sunt frequenter, tunc multa ex his mala sequuntur, vt vitium per se malum non est, & tamen prohibet Apostolus dicens, nolite inebriari vino, in quo est luxuria: quoniam ex frequenti,

immoderata vini potatione, luxuria generatur. Sic & iuramentum per se quidem malum non est, cum sit confirmatio veritatis; sed tamen prohibetur ea ex causa: quoniam ex frequenti, & incauta iuratione perturium saepe contingit. Hæc ibi Pontifex.

Nec Christus iusurandum malum esse dixit, sed à malo existere, nempe, iusuradum coepit in sermonibus adhiberi ob infirmitatem humanam, cum simpliciter aliquid affirmanti, negatiuè, aut promittenti fidem non habeamus, nisi sermone, aut promissionem suam iureiurando confirmet. A malo illud dicitur prouenire, eo quòd iurantis inconstantiam indicat, aut illius, cuius causa iuramus, contumaciam, qui vt credat, aliter adduci non potest: vt interpretatur B. Augustinus, & refertur capit. Ita ergo, 22. question. prima. Illud porro Christi Domini dictum, *Su sermo vester, Est, est, Non, non, hoc tantum sonat: In sermone quotidiano, & familiari omnino à iureiurando abstinete.*

Quarto queritur, An verba ad iusurandi substantiam in iudicio requirantur. Dixi, in iudicio, quia constat inter omnes, in conscientia apud Deum sufficere sine verbis solum mentis consensum quomodolibet coram Deo expressum, qui cor, & mentem intuetur. Tres sunt opinioniones, prima affirmat verbis opus non esse, cum ea nec ius naturale, nec diuinum, nec humanum postulet: Deinde, mutus potest sese alteri iureiurando obligare nutibus, & signis tantummodo datis. Præterea, pactum, conuentum, promissum, & matrimonium verba minimè requirunt, cum possint signis, & nutibus perfici: & solæ stipulationes inter contractus humanos iure civili certa verba deposcunt: ergo Iusurandum verba non exigit. Sic glossa, & Panoritanus, Cynus, Ancharanus, Antonius Butrius, quos citat Selua, in suo tract. de iureiur. p. 1. q. 2. nu. 1.

Secunda opinio tradit, verba ad iusurandi substantiam pertinere in ijs, qui loqui possunt: in ceteris verba non esse necessaria: sic Tiraquellus, Selua, sic Paulus, Aretin. Alexander, quos citat idem Selua.

Tertia opinio docet, in vniuersum verba ad iusurandum requiri, ita quidam opinantur, quos citat idem Selua, & Couarruuias loco citato, ait ita sensisse Bartholum, Albericum, Fulgosium, & Romanum. Verum prima opinio est vera, vt tradidit Couarruuias in cap. quamuis de pact. part. 1. §. 1. num. 4. Nam sicut cætera pacta, promissa, conuenta, & matrimonia (vt diximus) nullum verbum requirunt etiam in ijs hominibus, qui fari possunt, cum signis, & nutibus queant inter se conuenire, ita etiam iusurandum verba non postulat: nam verbum in iureiurando nec leges, nec Canones, nec alia iura vsquam requirunt, satis sunt nutus, & signa, quibus iurantis consensus exprimitur, & testes, qui probent nutus, & signa fuisse. Nihilominus tamen ad publica fœdera, & pacta, & ad priuilegia iureiurando firmata, & ad probationes in iudicio, iureiurando testium confirmatas necessaria sunt verba, vt ait Couarruuias, vt iusurandum fidem facere possit. Si obijcias, in cap. est Christus, de iureiurand. ipsum iusurandum dici sermonem, & in Authen. de Manda. princ. §. sed neque. Præfidi interdici, ne verbum, id est, iusurandum

temere

temere alicui dare festinet. Respondeo, cum Co-  
uarruina loco citato, in Authentica constitutione citata,  
præcipi Magistratui, ne temere det alicui fidem  
publicam. Nec obstat, quod habetur in cap. Clericus,  
de iureiur. vbi iusurandum ex solo iurantis consen-  
su non extenditur ultra id, quod est sermone ex-  
pressum. Nam ibi Pontifex solum significat iusfu-  
randum interpositum non protendi, & trahi ad  
aliud casum, nisi expressim iterum interponatur.

Quintò quæritur, Quot & quos comites debe-  
at iusurandum habere? quod est quæreret, Quot,  
& quæ sint ad iusurandum legitime requisita? Re-  
spondeo, ex communi omnium Theologorum,  
& Canonici iuris interpretum sententia ab Hie-  
ronymo in Hiere. capit. 4. accepta; licet ad iusuran-  
dum satis sit, Deum testem accersere, vt religiose  
tamen, & sanctè iuremus, plura requiruntur, quæ  
Hieremias breuiter enumerat, nimirum: *Iurabis, Vi-  
uit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Qua-  
si dicat, In re seria, & iusta confirmanda, non in-  
uocabis alium, nisi Deum viuentem: *In veritate*,  
hoc est, pro veritate, vel ad veritatem confirman-  
dam: *In iudicio*, hoc est, pro seria, & graui, & ali-  
cuius momenti re. *In iustitia*, hoc est, pro re iusta,  
ac debita comprobanda. Primum itaque in iure-  
iurando locum habet Veritas, nimirum, vt quod  
asseritur, ipsum verum sit: & qui iurat ita esse ar-  
bitretur, non leui coniectura ductus, sed certa,  
aut verosimili atque probabili. Et qui iureiuran-  
do aliquid pollicetur, eo debet esse animo, & vo-  
luntate, vt cum tempus aduenerit, id re ipsa præ-  
stet, quod iurando promissit, hoc est, debet in ani-  
mo habere id, quod iurando promittit, exoluere.  
Secundo loco iusurandum debet cum iudicio con-  
iungi, quoniam nec temerè, nec incòsideratè, sed  
consultò, & cogitatò iurandum est: Ita, vt qui iu-  
raturus est, primum consideret, necessitate cogi-  
tatur necne, accurateque rem totam expendat, an  
huiusmodi sit, vt iureiurando indigere videatur.  
Tempus præterea, & locum, & alia rebus adiun-  
cta spectare debet, ne odio, amore, aliaque animi  
perturbatione impellatur, sed rei ipsius vi, & ne-  
cessitate tractus, alioqui præceptis erit, & temera-  
rium iusurandum, cuiusmodi est hominum illo-  
rum, qui in re leuissima, & inani, nulla ratione,  
& consilio; sed praua quadam consuetudine iu-  
rant: quod passim quotidie venditores, & empto-  
res facere solent. Illi enim vt quamplurimo pre-  
tio vèdant, hi rursus, vt quam minimo emant, res  
venales laudando, aut vituperando, tertio quoque  
verbo iusurandum vsurpant.

Præterea, in iureiurando necessaria est Iustitia,  
quæ maximè in promissis requiritur. Quare si  
quis iniustum aliquid, vel inhonestum promit-  
tit, & iureiurando peccat, & in præstandis pro-  
missis crimè crimine cumulat. Tale fuit impium,  
& nefarium Herodis Regis Iusurandum, tale e-  
tiam Iudæorum, qui seiplos (vt est in Actis Apo-  
stolorum) ea conditione deuouerunt, vt nihil gu-  
starent, donec Paulum occiderent.

Sextò quæritur, Quotuplex sit iusurandum?  
Respondeo, multiplex. Primum enim iusurandum  
diuidi solet in illud, quod iudiciale vulgo appel-  
latur, & in illud, quod dicitur. Non iudiciale, siue  
extraiudiciale, quod extra iudicium adhibitum  
ab vno defertur alteri. Iudiciale verò in iudicio

coram iudice, solemnè quodam ritu adhibetur.  
Secundo diuiditur iusurandum, quoniam aliud  
per execrationem profertur, & dicitur Execra-  
torium; Aliud, quod interponitur quippiam asse-  
rèdo, vel negando, quod Assertorium appellatur;  
Aliud, quod promittendo adhibetur, & Promis-  
sorium vocatur. Per execrationem igitur iusfu-  
randum adhibetur, cum iurando rem aliquam Deo  
vltori, ac vindici subijcimus, si verum non sit, id  
quod iuramus, quale est illud Pauli Apostoli: *Te-  
stem Deum inuoco in animam meam.* Tale etiam est,  
quod frequenter in sacris literis legimus: Hæc  
mihi faciat Deus, & hæc addat, si ita non est, quasi  
dicatur: Mihi hæc, aut illa mala contingant. Talis  
ea etiam est iurandi formula, qua sacre literæ ve-  
tuntur: *Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requi-  
em meam.* Vbi arbitrantur quidam particulam, Si,  
accipi pro particula negante, non, sed verius est,  
quod alij tradiderunt, esse Eclipticum Sermonis,  
vt si dicat, Quibus iuravi, suppleendum est, quod  
subticitur. Non sim ego Deus, aut pro Deo hò col-  
lar, aut quid aliud simile, Si introibunt in requi-  
em meam. Tale etiam est cum iuramus, Moriar, aut  
dispeream, aut, me Deus non adiuuet nisi ita sit.  
Iusurandum, quod per Assertionem dicitur, est,  
quo quippiam affirmatur, vel negatur esse, iusi-  
le, for èue: Per Promissionem verò est, cum quip-  
piam iurando promittimus nos in posterum fa-  
cturos aut non facturos.

Tertio diuidi solet iusurandum in simplex, &  
solène, Simplex est, quod caret omni ritu, & for-  
mula solenni iuris. Solemne verò est, in quo ali-  
qua iuris præscripta formula adhibetur, nimirum  
quod fit in iudicio, aut publicè, aut coram testi-  
bus, coram populo, aut coram tabellione siue no-  
tario, aut tacto Evangeliorum codice, Cruciatue  
signo, aut alia qualibet re sacra, aut in quo Syn-  
grapha fit, aut Chirographum, aut Scheoula ma-  
nu subscripta continetur.

Quarto, diuiditur iusurandum: nam aliud di-  
citur Abolutum, & purum, quod nullam habet  
conditionem adiectam: aliud vocatur conditio-  
nale, in quo interuenit aliqua còditio, vt cum iu-  
rosi ex Asia redieris post tres menses, me tibi da-  
turum centum aureos: aliud verò Penale iusfu-  
randum appellant, quod adhibetur pœna aliqua  
constituta: vt cum iuro, si in hoc vel illud pecca-  
tum incurro, dabo in vsus pauperum centum au-  
reos, differt conditionale à pœnali; nam quam-  
uis pœna adiecta, còditio quædam sit, conditio-  
nale tamen est iusurandum, quod affectum est  
conditione, quæ pœna non sit, vt si in Capitoli-  
um ascenderis, iuro me tibi daturum decem au-  
reos.

Vltimò diuiditur iusurandum, quoniam aliud  
est, quo per Deum, aliud quo per bona creata, si-  
ue per creaturas iuramus.

Septimò quæritur, An Iusurandum Execra-  
torium, Assertorium, Promissorium inter se specie  
differant? Respondeo cum Cat. 2. 2. q. 89. art. 1. Soto  
lib. 5. de iust. q. 1. art. 1. & Couar. in c. quoniam de pact. p. 1.  
f. 1. nu. 3. specie minimè distinguitur, quoniam Iusfu-  
randum, religionis est actus, & officium quo Deo  
tanquam teste vtimur, siue per execrationem, si-  
ue aliquid asserendo, aut promittendo. Deus e-  
nim qui testis adhibetur, vnus est.

**O**ctavo queritur, An Iurandum, quo per creaturas iuramus, specie differat à Iureiurando, quo quis iurat per Deum? Respondeo, minimè, quia quamvis Deo aliis honor, & cultus debeat, quæ creaturæ, quatenus tamen per creaturam iuramus, non propter ipsam, sed propter Deum, qui est auctor omnis veritatis, iuramus. Quare sicut cum Dei imaginem, veneramus, & colimus, eam non propter ipsam, sed propter Deum omnis sanctitatis datorem, & largitorem honoramus, & propterea eam veneramus eodem honore, & cultu, quo Deum, quia in ipsa imagine Deum colimus, & imaginem honoramus, quia Deum repræsentat, & refert. Sic etiam cum per creaturas iuramus, non propter ipsas, sed propter Deum omnis creaturæ veritatis auctorem iuramus.

**N**ono queritur, An Iurandum simplex à solempni distinguatur specie? Respondeo, minimè, quoniam solempne nihil aliud habet præter simplex, nisi iuris humani præscriptum modum, & formulam, quæ iurandi accedit, quæque ad eius substantiam non pertinet.

**D**ecimo queritur, An Iurandum, quod adnexum habet maledictum, quam blasphemiam vocant, in Deum vel sanctos cæli habitatores, & ciues, specie differat ab eo, quod omni maledicto, & blasphemia vacat? Respondeo, ratione Iurandi non differre, specie, tamen distinguuntur ob circumstantiam adiunctam, ob quam periurium aliam accipit speciem. Periurium enim cum blasphemia, & maledicto coniunctum duas habet deformitates specie diuerfas, quoniam est periurium, & cõuicium, ac maledictum in Deum. Periurium est, quatenus aliquid mendaciter iuratur; Blasphemia verò, quatenus habet adiunctum maledictum in Deum, vt si quis mendacium confirmet iureiurando per creaturam aliquam tanquam per Numen, ac Deum: nam Blasphemus est, qui iurat per creaturam tanquam diuinitatis aliquid habentem, eo quod tribuit creaturæ, quod solius est Dei proprium: defert creaturæ honorem, & cultum, qui soli Deo debetur.

### Caput II.

#### De varijs Iurandi modis, ac formis.

**P**rimo queritur, Quot, & quæ sint Iurandi formulæ? Respondeo, eas posse ad tres commodè reuocari. Aliæ sunt, de quibus conuenit, inter omnes eas habere Iurandi vim, & rationem; Aliæ vero sunt, de quibus ambigitur, contineant nec ne Iurandum: Aliæ demum, quæ sunt cum maledicto in Deum, hoc est, cū blasphemiam coniunctæ. Formulæ igitur iurandi certæ, & exploratæ sunt eæ, quibus aliquid asserimus, negamus, aut promittimus Dei testimonium expressè, vel occultè, sive tacitè adducendo. Rursum eæ loquendi formulæ, quibus aliquid asserimus cum particula *Per*, aut particula *In*: nam phrasi scripturæ vtitur, *iurare in nomine alicuius*, est, *iurare* per nomen illius, *iurare in veritate*, in iudicio, & iustitia, perinde est, ac *iurare pro re vera*, *pro re iusta*, & *pro re seria*, vt paulò ante explicauimus. Eæ itidem formulæ, quibus per execrationem aliquid asserimus, certam Iurandi rationem habent.

Continent igitur Iurandi rationem sequentes formulæ: *Deum testor*, sive *testiflor*; *Testem aduoco* sive *adhibeo*: *Per Deum iuro*: *Testis su mihi Deus*: *Vini Deus*, aut *Vini anima mea*, vel *tua*: *Per Euangelium*, per *Crucem*, per *sanctos*, per *calum*: *Per animam viam*, vel *salutem meam*, vel *heri*, *pariter me iuro*: *Per sancti Petri caput*, *vestem*, vel *templum*. Item, hoc modo: *Hæc vel illa mala mihi*, vel *meis propinquis*, aut *necessarijs contingant*, *Ita me Deus amet*, *iuret*, *seruet*, *liberet*, & alia id genus multa.

Formæ verò, de quibus merito ambigitur, contineant, nec ne Iurandum, sunt, quæ sequuntur: *Deus scit*, *Deus videt*, vel *audit me verum asserere*: *testor*, vel *dico*, *coram Deo*; Item, *in anima mea*, *in vita*, *salute*, & *conscientia mea*, *in fide mea*, aut *in fide boni*, *ingenui*, aut *Christiani viri*, & alia his affines, & proximæ. De quibus primò mihi videtur dicendum, eiusmodi asserendi formulas Iurandi rationem habere apud eos homines, apud quos in more positum est, vt accipiantur tanquam modi loquendi Iurandi vim habentes. Item, si iuxta sententiam eorum, qui huiusmodi loquendi formulis vtuntur, Iurandi rationem contineant, *Per* terea, si ea, quæ his formulis nominantur, adducantur in testimonium tanquam res, in quibus Deus honoratur, & colitur, vt auctor omnis veritatis. Postremo, si nihil horum adfuerit, tunc is, qui est à sacris confessionibus, de his formulis iudicare debet, secundum communem Doctorum sententiam, qui inter se dissident: nam Cai. *secunda secunda*, quæstio 89, articulo quinto, & sexto. Sor. lib. 8. de iustitia quæstio 1. art. 1. de his duobus loquendi modis; *Deus scit*, vel *audit*, quod *dico*; vel *coram Deo dico*, vel *Testis est mihi Deus*, distinguunt: si tantummodo in modum enunciationis dicantur, Iurandi vim non habent; si autem in modum inuocationis proferantur, Iurandum continent. Nauarrus vero in *Manua*, cap. 12. nu. 3, simpliciter, & absolute testatur Iurandi vim continere. Et certè S. Augustinus epist. 89. quæ est ad *Hilarium*, in questione quinta, hæc omnia ad Iurandum reuocat, & vltus hominum tanquam Iurandum solet adhibere, & accipere.

De ijs verò formulis, *In fide mea*, aut *Per fidem meam*, *In fide*, vel *Per fidem boni*, *ingenui*, *nobilis*, *Christiani*, *Religiosæ hominis*, nisi Christi fides intelligatur, iudicandum est eas Iurandi rationem non habere, vt est communis Doctorum opinio, ita enim docent Caiet. Sotus, & Nauar. *locis citatis*, idem testantur Angel. *iuramentum*. 1. nu. 4. & 6. Tabien. *iuramentum numer. 1. & num. 33*. Syluest. *iuramentum*, primo questione quinta, & sexta. Eorum enim verborum sensus est, *Hoc dico*, vel *refero ea fide*, quæ haberi solet viro nobili, ingenuo, Christiano, vel Religioso.

Eas porrò formulas loquendi: *In vita*, *salute*, *anima mea*, aut *conscientia mea*, pleriq; docent Iurandi vim continere: quia particula *in*, idem valet, quod particula *Per*, cum dicimus *Per animam*, *viam*, *conscientiam meam*: led in his Iurandum continetur, ergo & in illis.

Eæ verò formulæ, quæ inter loquendū frequenter adhibemus, certè, *professo*, *reuerentia* est, Iurandi vim non habent. Cū præterea dicimus, *in veritate*, aut *Per veritatem*, Iurandum non continent, dummodo in animo non sit iurare per Deum, qui est

prima veritas, aut per veritatem, cuius auctor est Deus, tunc enim per creaturam iuraremus. Vnde in illis verbis, quibus Christus Dominus passim, ac frequenter utebatur, *Amen, Amen dico vobis*, iusu randum minimè continetur: nam hebraica vox, *Amen*, nihil aliud significat, nisi verè. Apud Lucà legimus etiam: *In veritate dico vobis*. Quod iusurandum non est; quamuis quidam existiment in utroque illo loquendi modo Christum iurasse, vt videtur significare Innoc. in c. *Et si Christus, de Iureiu.*

Secundò quaeritur, quæ sint formæ iurandi, blasphemiam in Deum, vel sanctos cæli habitatores dictam continentes? *Respondeo*, pro varietate nationum, & gentium varias esse huiusmodi iurandi formas. Vt generatim tamè aliquid dicam; blasphemiam continent eæ, in quibus verbù proferitur, quo aliquid Deo denegatur, quod ipsi conuenit, vel affirmatur aliquid, quod in illum non cadit. Vnde blasphemiam est per creaturam tantquam numinis, & diuinitatis aliquid habentem iurare, vt per Iouem, Martem, Herculem, Idola. Item, si verbum proferatur, quo quis fidem Christi abneget, vel à religione Christiana recedat. Item, si aliquid dicatur, quo Deus, vel Sæcti patriæ supernæ ciues pœnis, malisue subijciantur, neque enim his villo modo sunt obnoxij. Si item per Dei vel Sanctorum incolarum cæli membra obsecrè, & turpiter iuretur. Vnde apud quosdam quinq; vel sex sunt impia, & nefaria verba, quæ blasphemiam continent, hæc nempe; *Desireo del tal*, nimirum Deo, *Reniego de tal*, No creò en el tal, quæ tria significant defectionem à Fide. Alia verò tria sunt, quæ execrationem contumeliosam continent; nimirum, *Por vida del tal*; quod est dicere, Per vitam Dei: *Voto al tal*; id est, Execror, ac detestor Deum. *Pese al tal*, aut *Mal grado aya Dios*, quasi latinè diceretur, Doleat Deus, Deum tædeat, aut Malè Deus se habeat, vel malè valeat. *No a poder Dios* hoc est, Nihil Deus potest. *Por vida de Dios, reniego de la fe, ò del crisma, que recebi*. Abnego Fidem, aut Chrisma quosum per Baptisum imbutus. His blasphemijs vtuntur homines scelerati, ac perditii.

Apud alios solent esse alia, quales hæc sunt; *Al dispetto di Dio*, quæ atrocè esse blasphemiam secundum communem sententiantur. *Couar. in c. quamuis de pact. in 6. p. 1. §. 7. nu. 9. Clari. lib. 5. recep. sentent. in practica crimina. verbo. blasphemiam. num. 2. licet Baldus, quem teste Couarruua sequuti sunt Angelus, & Felinus, senserit non esse blasphemiam. Maledictio sia Dio, vrisso, traditore, gli venga il cancro, & alia his similia, quibus aut mala Deo nefarij homines imprecantur; aut quæ sunt Dei, contumeliosè, inhonestè, ac turpiter nominant, aut impiè detrahunt Deo, quæ ipsi conueniunt; aut quæ in eum non cadunt, tribuunt impudenter.*

Porro ea est etiam iurandi formula satis ambigua, qua solent aliqui dicere: *Sicut Dem est veritas*; aut *Sicut est filius B. Virginis*, ita est verum, quod dico; aut, *Sicut Evangelia sunt vera*, ita verum testor; aut, *Sicut S. Franciscus est Innocens*, sic ego sum mundus, ac purus, quæ verba si significant, tantam esse veritatem in dictis nostris, quanta est in Deo, aut in Euangelijs; aut tantam integritatem, quanta est in B. Francisco, verba sunt cum blasphemiam coniuncta: Si verò tantummodo similitudinem quandam contineant, nimirum; Hoc, quod dico, modò quodam

est verù, sicut Deus sua natura est verus; tunc manifestè blasphemiam nõ continent, quoniam nec diuinæ veritati, nec B. Francisci innocentie nostram æquamus.

Tertiò quaeritur, Quid & quantum mali contineat deprauatus iurandi vsus? De hac questione Sot. lib. 8. de inst. q. 2. ar. 3. Nauar. in *Manua. c. 12. n. 6. Medi. in sua instruct. confes. lib. 1. c. 14. §. 4. Respondeo*, ex frequenti iurandi vsu, & consuetudine quendam deprauatum habitum comparari, qui hominem ad iurandum incitat, flestit ac mouet, hic autè genitus, & acquisitus habitus quamuis ex malis actibus procreatus sit, actu tamen peccatum non est, cum non sit actus, sed tantum vitiosus habitus ex malo genitus, & comparatus, & ad malum inducens; actibus autem meremur, aut peccamur, habitibus nõ itè. Deinde, qui eiusmodi prauo habitu incitatus, & motus iurat, si quando iurat, certo & manifesto nouit, aut credit verum esse, quod iurat, lethale peccatum non incurrit; quia nec mendacium iureiurando confirmat, nec se periurij periculo exponit. Qui vero prauo illo habitu iurat, si ita subito iuret, vt plenam animi deliberationem iusurandum præcurrat, lethalis peccati reus censendus non est, vt ex proximè antedictis patet. Quid si ita iuret, vt quamuis subito, plenè tamen, & perfectè animaduertat se iurare? Certè lethali ter peccat, quamuis verum iuret, non falsum; quoniam sese periurij periculo obijcit. Sic Sotus, & Nauar. locis supra citatis. Præterea, qui etiam dicto prauo habitu iurat nullam rationem habens eius, quod iuraturus est, sit verum necne, lethali se crimine obstringit, si ex animo plenè considerante, & deliberante iuret; quoniam toties periurij periculù incurrit, quoties iurat. Postremò qui prauam, ac peruersam passim iurandi consuetudinem habet, & apud se firmam deliberatione constituit, nunquam falsum iureiurando confirmare: si iuret verum, venialem tantummodo culpam contrahit, quoniam absque iusta, & debita causa iurat. Si verò falsum iuret, lethali ter delinquit, quoniam periurus est. Sic Sotus, & Medina locis superius dictis.

Quartò quaeritur, Quo pacto se gerat is, qui confessionem audit eius hominis, qui prauam habet consuetudinem iurandi? *Respondeo*, videndum esse, an antea fuerit sæpe admonitus, vt eam consuetudinem radicitus euellendam, & à se abijciendam curaret? Deinde, an ea de re admonitus curam, & diligentiam ad eam consuetudinem extirpandam contulerit. Si enim nunquam est admonitus, absoluti à peccatis iure potest ea conditione, vt statuat apud se eam consuetudinem vel le omnino deponere. Idem iuris est, si alioqui admonitus studij, curæ, & laboris aliquid adhibuerit ad eam depellendam. Si tamen ter quater uis, ac sæpius etiam admonitus nihil in ea re studij, & operæ posuerit, & si absolutio simpliciter deneganda non est, videtur tamen ad tempus differenda, vt operæ aliquid interim in id conferat: nisi iusta alioquin causa subsit, qua statim à peccatis absoluti debeat. possunt enim iusta causæ subesse. Medina loco citato.

Quintò quaeritur, An fas sit per creaturas iurare? Ratio quaestiois est, quia in c. Clericum 22. q. 1. ex Concil. Carthagin. 4. statutum est. Clericum per

creatu-

creaturas iuramentum, acerrimè esse obiurgandum: quod si perfiterit in vitio, excommunicandum. Et cap. si quis, eadem causa, & *Questione dicitur: Si quis per creaturam iurauerit, acerrimè castigetur, & iuxta id, quod Synodus dyadicauerit puniatur.* Respondeo, Hieronymum in ea fuisse sententia, vt putauerit in Evangelio prohibuisse Christum Dominum iurare per creaturas, non autem, per Deum. Sic enim ait ille, paulò ante dicto loco cap. Considera. 22. quæst. 1. Considera quod Saluator non per Deum iurare prohibuit, sed per celum, & terram, & per Hierosolyam, & per caput tuum: hoc quasi paruulus fuerat lege concessum, vt quo modo victimas Deo immolabant, ne eas immolarent Idolis, sic etiam iurare permitterentur per Deum, non quòd rectè hoc facerent, sed, quòd melius est Deo id exhibere, quàm De manijis. Innocentius quoque III. in cap. ejsi Christus, De Iureiurando, videtur Hieronymi sententiam secutus, his verbis scribens: licet iuramentum prohibuisse Dominus videatur; nunquam tamen per creatorem iurare prohibuit, ne per huiusmodi iuramentum transferretur ad creaturam honorificètia creatoris. Et probat, quia cum in Evangelio præmittatur: Dico vobis, Nolite iurare omnino, statim subiungitur: Neque per celum, & terram, neque per Hierosolyam, neque per caput tuum. Hæc ille.

Cæterum communis est omnium Theologorum sententia, Christum Dominum Matth. 5. non solum iusurandum per creaturas; sed etiam per Deum vetuisse: & certè ea sententia ex his quæ Matth. 5. habentur, planè colligi potest. Ait enim ibi Christus Dominus: Sit sermo vester, Est, est, Non, non, quod autem his abundantius est, à malo est, cum generatim prius dixisset: Nolite iurare omnino. Obijcies. Quare igitur solum proposuit exemplum in Iureiurando per creaturas? Respondeo, duplicem errorem in iureiurando Christum Dominum in Scribis, & Phariseis reprehendere; vnum, quòd putarent mendaciter iurare per Deum, esse lege prohibitum, non autem per creaturas; & inde deducebant, si quis per creaturas iurasset, eum non peccare, si quod iureiurando per creaturas promiserat, minimè præstiffet. Alter error Scribarum, & Phariseorum erat, quòd iurare passim, & pro qualibet re leuissima, & nullius momenti solebant: credebant enim solum in lege prohibitum iurare mendaciter, & propterea dixit Christus, Nolite iurare omnino; id est, In quotidiano, & familiariter sermone nullum penitus iusurandum adhibeatis, siquidem nulla est iurandi necessitas: nec item per creaturas iuretis, sed factis est, si simplici affirmatione, aut negatione semper vtamini. Animaduertendum tamen est, per creaturas posse quempiam dupliciter iurare: Vno modo per eas tanquam numinis, & diuinitatis aliquid habentes: quo pacto Gentiles iurabant per Idola, per Iouem, per Herculem, per Martem: & huiusmodi Iusurandum blasphemiam continet, quoniam quod est Dei proprium, creaturæ tribuitur, nimirum esse omnis veritatis auctorem, testem, & iudicem, qui nec falli omnino, nec fallere possit: & hoc est, quod ius Canonicum prohibet in cap. Clericum, & cap. si quis paulò ante dictis. Altero modo iurat quis per creaturas, non propter ipsas, sed propter Deum, qui est auctor omnis veritatis, & sanctitatis, quam habent creaturæ: & Iusurandum huiusmodi tantum abest, vt blasphemiam contineat, vt sit etiam religionis opus, & officium, si iu-

retur in veritate, iudicio, & iusticia. Hoc itaque Iusurandum non simpliciter prohibuit Christus, sicut nec Iusurandum per Deum, sed frequentem vsum iurandi vt ante iam dixi.

Sextò quæritur, An liceat Iusurandum exigere Anabaptistæ, quia censent Iusurandum in vniuersum esse in Evangelio prohibitum, inferunt quoque, eos grauissimè peccare, qui iusurandum petunt, siue priuati homines sint, siue Magistratus, & Iudices. At enim illi vehementer falluntur. Iusurandum enim, maximum est remedium expediendarum litium, vt dixit Iurisconsultus in l. 1. ff. de iureiur. & ideo iustissimè sæpius causa controuersæ & litis dirimendæ Magistratus, & Iudices postulant, & rei vel actores alteri deferunt. Iustè quoque in pactis, conuentis, & commercijs exigitur, & interponitur Iusurandum, vt contractarum rerum fides sit firmitior, & certior.

### Caput III.

#### De Iureiurando, cui videtur veritas aliquo modo deesse.

PRIMO quæritur, Quodnam peccatum sit, quando in iureiurando veritas desideratur? Respondeo, communem esse sententiam: Quotiescunque iureiurando, quo quippiam affirmamus, vel negamus, veritatem deesse scimus, lethale crimen contrahimus, siue graue sit, siue leue, & minimum mendacium, quod iureiurando firmamus. Nam pari iniuria Deum afficis, si eum testem arcessis in graui mendacio, aut leui confirmando. Sic Theologi, & Canonici iuris interpretes, & Summistæ. Præterea, qui putat, & credit falsum esse, quod iurat, lethaler delinquit, siue falsum, siue verum sit, quod iurat. Qui item falsum iurat credens esse verum, nisi quam potuit iustam, ac debitam arbitrio boni viri curam, & diligentiam adhibuerit, vt totam rem prius bene cognitam, & perspectam haberet, in lethalem ille culpam incurrit. Qui etiam iurat, dubitans tamen, sit ne falsum, an verum, quod iurat, lethaler peccat, cum se exponat, & obijciat periculo periurij. SI QVAERAS, quando deest veritas iuriurando, quod promissorium vocatur; Respondeo: Quando quis promissionem iureiurando confirmat; cum tamen animus, & voluntas desit id præstandi, quod iurat, mendaciter iurat, quare lethale crimè admittit. QVAERES deinde, an etiam, qui iurando promittit non habes in animo seruare promissum, grauer delinquat, si promissio sit rei leuis, & minima? Respondeo, etiam communem opinionem esse: quem admodum in iureiurando, quo aliquid asseritur, quotiescunque veritas deest, lethaler peccatur; sic etiam cum quippiam aliquis promittendo iurat, nisi statuat promissa persolvere, lethalem contrahit culpam, siue magnum quid, siue paruù polliceatur. Deum enim falsi promissi testem aduocat. Aequalis autem Deo iniuria sit, si eum magna, aut parua promissionis falsæ testem adhibeas.

Secundò quæritur, An qui iureiurando aliquid alteri promittit, cum tamen in animo non habe-



at ei se obligare, vim habeat huiusmodi iusurandum? Respondeo, tribus modis posse quempiam iurando promittere: Aut enim iurat non habens in animo iurare, & huiusmodi iusurandum est fictum, & simulatum: ore enim tantummodo iurat, non corde; ac proinde iusurandi vim non habet per se, quia voluntarium non est: aliunde tamen quatenus quidam actus exterior, potest iurantem alteri obligare, aut ratione offensionis, quæ vocatur scandalum, aut ratione iniuriæ, aut damni subsequenti. Aut iurat quis carens voluntate præstandi id, quod iureiurando promittit; habens tamen in animo iurare, & sese alteri obligare: & de hoc iureiurando inter omnes cõuenit, illud obligationem inducere: ita ut is, qui iurat, stare promissis debeat, quamuis peccauerit carens voluntate persoluendi promissum. Aut denique quis promittendo iurat, nolens quidem se alteri obligare, sed volens nihilominus iurare. Et de hoc sunt quæ sententiæ: Prima huiusmodi, iurantem ait esse obligatam ei, cui iurãdo promittit. Sic opinantur Caietanus 2.2. *question. 89. articulo. 7. ad 4.* Sot. *libr. 8. de iust. & iure quest. 1. articulo. 7. ad 4.* Conar. in *Quæst. de pãssu in 6. part. 1. §. 4. nu. 2.* Quod præbent, quoniam obligatio natura sua ex iureiurando promanat: nemo autem potest, positus rerum naturis, earum necessarios effectus impedire: ergo cum ex iureiurãdo obligatio necessario nascatur, non est in potestate iurantis eam impedire, aut submouere. Deinde probant à simili: quemadmodum lex, si reuera lata sit à Principe animo, & voluntate cõdendi legem, eo ipso obligationem subditis imponit, sic etiam iusurandum, si interponatur animo iurandi, nequit sua obligatione priuari.

Secunda opinio docet, huiusmodi iusurandum nullo obligationis vinculo deuincire iurantem: quod videntur sentire Angel. *Turamentum. 5. quest. 32.* Gabr. 3. *distinct. 39. quest. 1. articulo. 2. conclus. 5.* Syluester. *Turamentum 4. quest. 19.* Nauarrus in *Manua. ca. 12. num. 38.* Bonau. 3. *distinct. 39. art. 3. quest. 1. & 4. dist. 38. art. 1. quest. 1.* & Richar. d. 4. d. 38. *art. 3. quest. 3. & 3. d. 39. art. 2. quest. 1.* Glossa in *cap. Literaturam. de vot. & vot. redempt.* quod probant à simili: sicut lex conscientias non tenet, nec ligat, nisi voluntate Principis volentis sibi populum obligare; sic nec votum, nec promissio, nec iusurandum vllam obligationem parit, nisi voués, promittens, & iurans velit se Deo, aut homini obstringere, & obligare.

In hac controuersia illud mihi videtur exploratum, & certum in primis, si is, qui iurat, ad iurandum voluntatem habet, & nihil de obligatione cogitat; iureiurando eo ipso se deuincit: & hoc sentio puto esse verissimam Caietani, & Soti sententiam: quoniam ex iureiurando naturaliter, & necessario obligatio profluit nõ impedita aliunde. Si tamen quis iuret voluntatem quidem iurãdi habens, non tamen sese obligandi, incertæ, ac dubiæ quæstionis est, an ex eo iureiurando obligatio maneat, & surgat. Caietanus, & Sotus putant oriri obligationem, ceteri negant. Mihi ita probabilis Caietani, & Soti sententia videtur, vt non iudicet oppositam, quam Syluester, Angelus, Gabriel, & Nauarrus sequuntur, esse quoque probabilem: quoniam voti, promissionis, & iusurandi obligatio proficitur quidem natu-

ra sua ex voto, promissione, & iureiurando; sed id locum habet in eo, qui cum vouet, promittit, aut iurat, contrariam voluntatem non habet: nõ eo ipso, quod quis se alteri obligare non vult, reuocat voluntatem iurãdi, & tunc iusurandum speciem quidem, imaginem, & similitudinem iusurandi gerit, sed reuera iusurandum non est, quoniam is, qui iurat à iureiurando recedit, ita vt iurando nolens se alteri obstringere, perinde se habeat, atque is, qui iurat nolens iurare. In vtroque enim iusurandum habet similitudinem iusurandi, sed re ipsa iusurandum non est: non aliter, ac si Princeps legem ferat, nolens tamen sibi obligare populum, specie quidem, nomine, & similitudine lex esse censetur, re tamen lex non est.

Tertio queritur, An qui dubitat, promissionem iureiurando firmauerit, nec ne. Item, an qui certum quidem nouit se promissioni iusurandum adhibuisse, ambigit tamen habuerit nec ne iurandi voluntatem, iusurandi nexu, & vinculo teneatur? Sotus in *libr. 7. de iust. q. 3. art. 2.* negat ea ratione adductus: *quia in dubijs, inquit, melior est conditio possidentis.* Cum igitur Titius, Verbi gratia; hæsitet, iurauerit nec ne, haberi debet tanquam iureiurando solutus, & liber, ne in dubio libertatem, quam antea habebat, amittat. Idem quoque censet Medina in *sua instruct. confessorum libr. 1. cap. 4. §. 7.* Mihi tamẽ multo verius videtur oppositum, eum hominem scilicet esse iureiurando deuinctum: quoniam in dubijs, quod tutius est, eligere oportet, ne quis se peccati periculo obijciat. Quemadmodum si quis hæsitet, sit nec ne excommunicatio, vel irregularitate affectus, eo ipso debet se à sacris abstinere: item, si quis dubitet, præbuerit nec ne confitemi peccato lethali, eo ipso confiteri debet, cum sacram suorum peccatorum confessionem coram Sacerdote facit. Ea vero præcepto, & regula iuris: *In dubijs melior est conditio possidentis,* locum habet tantummodo in rebus, quæ ad iustitiam pertinent: vt si dubitem, sit nec ne res aliena, quã iam pridem possedi, eam possum iure optimo retinere. Aliud verò est de rebus quæ nihil ad iustitiam spectant, vt secundo libro cap. 19. q. 10. abunde, quantum ego quidem existimo declarauimus. Idem iuris est in eo, qui dubio est animo, obligauerit se nec ne, cum aliquid iureiurando promissit: nam aut dubitationem deponere, & abjicere debet, aut alio qui id facere, ad quod faciendum iureiurando se alteri obligasse dubie putat.

Quarto queritur, An iusurandum, quod frequenter urbanitatis gratia alteri præstari solet, obligationem pariat? veluti, vnus alteri honorẽ tribuens, iurat per Deum, Non ibo, nisi tu præteris, non ingrediar, non bibam, non transibo, non sedebo, nisi tu id primo feceris. Sunt, qui putant eos, qui hac ratione iurant, iusurandum penitus violare, si contra fecerint. Sed verius est, quod Caiet. 2.2. q. 89. art. 7. *dub. 2.* Sot. *libr. 8. de iust. q. 1. art. 7. Armil. verbo; Turamentum. num. 11.* Tabien. verbo; *iurare. nu. 11.* tradiderunt, eos iusurandi violati reos nõ esse: tum quia eiusmodi iusurandum adhiberi solet sub tacita conditione, ea nimirum, quod ad me attinet, non præcedam, non transibo, nisi tu præcesseris, non tu prior transieris: tum quia iusurandum cedit in honorem, obsequium, & bo-

num alterius: ergo si is, cui iusiurandum præstat, suo iure cedit is, qui iurat, liber, & solutus est ab omni iusiurandi vinculo.

Quintò queritur, De iureiurando dolosè, ac per fraudem in promissionibus adhibito, an qui iurat, debeat uti verbis eo sensu, quo accipiuntur ab eo, cui aliquid iurando promittit; an verò possit ea verba accipere in eù sensum, quem ipse mente, & animo suo concipit. De hac quæstione in c. *Quædamq; arte.* & in c. *Humane artes.* 22. q. 5. Nauar. in *Manua.* c. 12. n. 8. & n. 18. & 19. & in *comment. de hac re,* in c. *humane aures* 22. quæst. 5. Syluest. *iuramentum* 3. q. 2. Angel. *iuramentum* 4. nu. 1. *Sot. lib. 8. de iust. q. 1. art. 7. in 4. argumento.* Tab. *iurare.* q. 13. Quidam ex Nauarro, Syluestro, & Angelo regulam generalem proponunt, Non esse mendacium, quamuis verba significatione ambigua non sint, si sermo noster ex aliqua tacita mētis cogitatione verus reddatur, vtpote si mutua à me petas pecuniam, & eam cum apud me habeam, respondeo me eam nō habere, tacitè animo concipiens, vt eam scilicet tibi mutuo dem: quāuis (inquiunt) sermo exterior nihil ambiguitatis habeat, & absolute significem me eam nō habere, quia tacita mente retineo me eam non habere, vt tibi mutuo dem: ideo (inquiunt) verum est, & nihil iurando peccatur. Quod probant, ex ca. *Humane aures.* 22. q. 5. vbi dicitur: *Humane aures talia verba iudicant, qualia foris sonant. Diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferrunt: quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.* Hęc ibi ex Gregorio. Ex qua regula multa deducūt partim quidem vera, partim verò falsa.

Primò quidem aiunt iurantem, vt à periurio liberetur, non debere accipere verba, quamuis ambigua non sint, in eum sensum, in quem accipit is, cui iusiurandum præstat, sed eo tantummodo sensu, quem ipse mētē tacitè concipit. Deinde, fas esse cuique iureiurando, vt vitam suam conseruet, latroni, tyranno, aut hosti promittere daturum se illi certam pecuniæ quantitatem, cū tamen in animo habeat nullam ei dare; quia tacitus secū dicit, Dabo, si debeo. Item, vxorem quidem adulteram, sed occultam, rogatam à viro de adulterio, posse tuta cōscientia iurare se nullum adulterium commississe, mente cōcipiendo, quod tibi confiteri, & aperire debeam. Præterea, Scholasticos rogatos, an fuerint collocuti cum aliquo ex candidatis cathedram petentibus, posse citra mendacium iurare se non fuisse collocutos, si sermone tantummodo habuerint de his rebus, quæ ad subornandum eos nihil pertinebāt, nam aliqui veritatem confessi, tanquam inhabiles à suffragio ferendo excluderentur. Sic enim iurantes nequaquam mentiuntur, quia mente intelligunt se nihil fuisse locutos, quod statuta prohibeant. Postremò, eum qui venit ex aliquo loco peste minime infecto, qui falsò habetur pro infecto: aut eum, qui per locum peste infectum adeo celeriter transiuit, vt nihil eum pestis attigerit, rogatum à custodibus Urbis, venerit nec ne ex eo loco, tutò citra mendacium iurare se ex eo loco non venire, dummodo intelligat se non venire ex loco pestilenti, aut se nihil mali ex pestilentia loci contraxisse. Hęc omnia ex Nauarro quidam collegerunt, quæ ex parte Syluestro, & Angelus ante tradiderunt *locis citatis.*

Meo tamen iudicio illi regulam ad plura extendunt, & trahunt, quàm par sit, & quàm Nauarrus, Syluester, & Angelus voluerint. Nihil enim tam falsum esse potest, quod non queat ab omni mendacio liberari, si aliquid arbitrato nostro mente tacitum retineamus. Possemus enim, quicquid à nobis petitur, quamuis id apud nos habeamus, diffiteri nos habere, intelligentes, vt demus: quicquid fecerimus, quicquid viderimus, quicquid cogitauerimus, decreuerimus, de eo rogati, possemus absque mendacio dicere, Non fecimus, non vidimus, non cogitauimus, non decreuimus, eo nimirum sensu, vt tibi dicamus, vel quod tibi dicere debeamus. Quare mihi aliud videtur, quod quibusdam regulis subiectis breuiter perstringam.

**Prima Regula sit:** Si Sacerdos rogetur de his, quæ in sacris peccatorum confessionibus audiuit: potest simpliciter respondendo iurare se nihil scire, nihil audiuisse: quoniam quæ audiuit, ea audiuit, vt Christi Domini, & Sacramenti minister: nec rogatur à iudice, vt ea prodat, & dicat.

**Secunda Regula:** Si reus à iudice contra, vel præter ius rogetur de crimine occultè patrato, potest tuta conscientia respondendo iurare se illud non commississe, se nihil penitus de eo crimine scire. Ratio vtriusque regulæ non est ea, quam aliqui reddunt, quod liceat nobis cum iuramus, verba accipere nostro sensu, quem facimus ipsi, ac fingimus, non eo, quem audientes intelligunt: sed ea, quia quotiescunque verba sunt significatione ambigua, & cōtra, vel præter ius rogatur, integrum est nobis eo sensu, quem volumus, & concipimus, ea accipere, licet in alio sensu audientes accipiant. Ambiguitas autem in verbis potest ex multis capitibus inesse, nimirum ex significatione, quia sint ad alia multa, & varia significandum imposita. Deinde ex loco, ex tempore, ex persona, ex modo, & ex alijs rei adiunctis, quibus rogatur: quo fit, vt Sacerdos de cuiuspiam delicto rogatus, iure respondeat se nihil scire, quamuis in sacra id pœnitentis confessione cognouerit: quoniam etsi generatim respondeat nihil se scire, ex modo tamen quæstionis sibi propositæ intelligitur, se non rogari de his, quæ in sacra confessione audiuit. Et proinde cum responderet se nihil scire, in eum sensum verba accipiuntur, extra sacram videlicet peccatorum confessionem. Similiter cum quempiam Iudex legitime interrogat de criminibus, secundum iura, intelligitur interrogare de ijs, quæ ad iudicium venire possunt. Ergo cum reus de occultis rogatus, quamuis simpliciter neget se quicquam fecisse, aut nosse, intelligitur de ijs, quæ ad iudicem deferri possunt. Ex qua Regula deducitur, debitorem, qui debitum integrum creditori soluit, in iudicio tamen probare nequit, se in totum soluisse, à iudice coactum, vt iureiurando promittat se soluturum, posse citra mendacium iurare, soluiam; & deinde, si non soluat, periurum non esse, quoniam iusiurandum, quo se soluturum promisit, iuxta sententiam à Iudice legitime latam, intelligebatur, nempe, soluturum se, quod creditori debebat; ad hoc enim soluendum Iudex condemnabat. Et proinde quamuis simplici-

ter respondeat, solvam, intelligitur, quod creditori debeo, non quod iam solui. Item, si Titius mutuo accepit à Caio centum, & ea integrè soluit, iniquè tamen in iudicio conuenitur, & rogatur simpliciter, acceperit nec ne mutuo à Caio centum, iurare potest absolue se non accepisse: nam intelligit mutuum esse solutione rescisum, & mutuum non debetur, quod est reddidit, & solutum, vel quia solum rogatur à Iudice de mutuo, quod debet. Eodem modo si accepit centum, & soluit quinquaginta, & repetitur ab eo centum, potest iurare se non accepisse mutuo centum, quia quinquaginta iam soluit, ac reddidit. Pari etiam ratione mulier morti vicina, & Sacerdoti confessa, vel ad iudicium deducta, & coacta iurare se cum marito in posterum victuram; cum tamen id præstare nequeat absque graui sui detrimento, ob occultum coniugij impedimentum, quod vel in confessione aperire commodè, aut in iudicio verum esse probare non potest, tuta conscientia iurat, faciam; nec tamen postea ad id faciendum vllò iure compellitur: nam cum iurauit, faciam, hunc sensum habuit, faciam, quod debeo: aliud enim eam iurare Sacerdos, aut Iudex non cogit.

**Tertia Regula:** Quoties in conuictu hominum communi, de aliquo rogatur iureiurando adacti, si nobis in eo iniuria inferatur; nobis fas est iurando verbis ambiguis uti, & ea accipere nostro sensu, quem ipsa verba reddere queunt, quamuis ea in audientium animis alium sensum ingenerent. Ob iniuriam enim, quæ nobis infertur, integrum nobis est nostro bono consulere, dummodo ambigè loquamur, ac possint verba sic arte componi, vt reddantur ambigua. Quare libenter concedimus id, quod paulò ante dicebatur de adultera occulta, præter ius à viro rogata; & de eo, qui vt se saluum tueatur, promittit latroni, tyranno, hosti, aut ei, qui ipsum iniquè vexat, & de eo, qui ad portas vrbis rogatur, venerit nec ne ex certo loco, qui falso putatur, peste infectus: qui omnes ambigè respondere queunt, quoniam vel iniuste rogantur, vel verè respondent, prout interrogari iure possunt.

**Quarta Regula** sic hæc: Si nulla nobis fiat iniuria, nefas est verbis uti ambiguis, nisi eo sensu sit mantur, quem audientes concipiunt: & multo deterius, ac peius est ea in alium sensum accipere, atque audientes accipiunt, qui iure nos rogant.

**Quinta Regula:** Si reuera verba, quib' vtimur, significatione sua, & communi hominum usu ambigua non sunt, nec habent nisi vnicum tantummodo sensum, ea vsurpare debemus eo sensu, què reddunt, nec licet nobis etiam si contra ius, factq; omne inter rogemur, aliquid mentis cogitatione concipiendo in aliud derogare, nunquam enim fas est mentiri: ar is mentitur, qui verba aliter accipit, atque ipsa significant.

## Caput V.

### De iureiurando, cui iustitia deest.

**PRIMO** queritur de iureiurando per promissionem incautam, an iusurandum, quod pro-

missionem incautam confirmat, sit ratum, & firmum. De iureiurando incautè interposito in sermone nostro Angel. *iuramentum 5. num. 3. & sequentibus.* Syluest. *iuramentum 2. q. 7. Tabien. iurare. q. 10. n. 12. Nauar. in Manua. ca. 12. nu. 15. 16. 17. Sot. lib. 3. de iust. q. 1. art. 7. in 2. argumento. Respondeo, hoc loco non tractari de iureiurando, quo quippiam temerè, & inconsideratè affirmamus, aut negamus, sed de eo, quo incautè, & temerè, aliquid promittimus.*

In primis igitur, cum quis rem promittit, que aut nullo modo fieri potest, aut saltem is, qui iurat, eam præstare nequit, iusurandum est temerarium, & incautum, & is, qui iurat, lethaliter delinquit, quoniam aut voluntatem habet obligandi se alteri, & præstandi, quod iurat, aut non habet. Si non habeat, mentitur, & proinde in lethalem culpam incurrit, quia mendacium iureiurando confirmat. Si verò habeat, etiam lethaliter peccat, quia iurat se facturum, quod nouit se præstare non posse.

Deinde, qui iurat se facturum aliquid, quod contra lethale crimen fieri nequit, incautè iurat, & lethalem culpam contrahit, siue in animo habeat promissum exsoluere, siue non habeat. Si non habeat, iurando mentitur, & proinde lethali crimine tenetur: Si habeat, nõ quidem mentitur, sed nihilominus se lethali scelere obstringit: quia voluntatem habet id præstandi, quod lethali crimine suum auctorem commaculat.

Præterea, qui iurat facturum se aliquid, in quo faciendū, peccatum veniale contrahitur, incautum est iusurandum: vt si quis iuret se mendacium iocolum, aut officiosum diciturum, bibiturum, cœnaturum, aut pranfurum plus æquo. **QVAERERE** QVALE, qui sic iurat, peccatum admittit in iurando, vel in seruando iusurandum, lethale ne, an veniale? Respondeo, communem esse opinionem, si voluntatem non habeat præstandi, quod iurat, lethaliter delinquit, quia in iurando mentitur: si verò habeat in animo id facere, quod iurat, non mentitur. Et licet rati sint quidam, eum lethaliter peccare, tum in iurando, tum in seruando iureiurando. Hugo in *cap. in malis. 2. 2. questum. 4. quem ex parte sequitur Angel. iuramentum 5. quest. 2. Verius tamen Syluest. iuramentum 2. quest. 2. & iuramentum 4. quest. 1. Antonin. in part. 2. tit. 3. cap. 4. §. 1. Tabien. iurare, numer. 11. Nauar. cap. 12. numer. 15. Pisan. Monaldus, Rodon. vt citat Syluest. & alij tradiderunt, eum, quo diximus modo iurantem venialem tantummodo culpam contrahere: quoniam sicut in eo faciendū, culpa tantum venialis admittitur: sic is, qui iurat se id facturum voluntate illud præstandi, venialis tantum peccati reus est.*

Si item iuret quis aliquid se facturum contra Euangelicum consilium, veniale peccatum incurrit, quod testantur Caiet. 2. 2. q. 89. artic. 7. ad 2. Sot. lib. 3. de iust. q. 2. artic. 3. conclus. 5. Nauar. cap. 12. numer. 16. Tabien. iuramentum. q. 10. quamuis Angel. iuramentum 5. n. 3. & Sylu. iuramentum. 2. q. 7. & Bonau. 3. d. 39. ar. 6. q. 3. existiment, eum in iurando lethaliter, siue grauius delinquere, vt qui iurat non suscepturum se Religiosum statum, aut sacros Ordines, aut Episcopii munus, & onus, aut sacros ordines, aut non auditurum rem diuinam in diebus profectis. Hoc tamen ita est accipiendum, vt is, qui hac iu-

rando promittit, non ita iuret, vt Evangelica cōsilia contemnat, nec iuret se ea non seruaturum, quando præcepti vim habuerint: tunc enim absq; dubio lethaliter iurando peccabit.

**QVAERES**, an eiusmodi iusurandum sit seruandum? Hugo ait seruari debere in c. Si aliquid. 22. quæst. 4. Gratianus verò in cap. Innocens. 22. q. 4. §. Illi-  
civum ergo iuramentum. censet, id quod iuramus in-  
terdum vitiosum esse, quia est contra Evangelicū  
consilium, sed non prohibemur seruire, veluti si  
quis, ait, post votum castitatis duxit vxorem, iu-  
reiurando promittens se ab ea nunquam disces-  
surum, seruire iusurandum tuta conscientia po-  
test, licet contra votum iurauerit. At in hoc, vt  
ibi Glossa annotauit, verbo, Nunquam. Gratiāni sen-  
tentia deferitur: quoniam potius est votum im-  
plendum, quā sequens iusurādum seruandum.  
cap. Rursus, qui clerici, vel vouen. Archidiaconus verò in c.  
Si aliquid. 22. q. 4. docet iusurandum in re aliqua  
interpositum contra consilium Evangelicum nō  
esse seruandū, tum quia est temerarium, tum quia  
iustitiæ, & consilio Evangelico aduersatur; nam  
malum est fugiendum, bonum faciendum. Ergo  
qui iurat se aliquod consilium Evangelicum non  
seruaturum, videlicet religiosæ vitæ institutum  
nunquam suscipiendum, cum iustitia pugnat. Ab-  
bas, & Ioannes Andreas in cap. Si verò de iureiurand.  
sentiant, si quis iuret se nunquam Episcopi mu-  
nus, curam, & onus suscipiendum, seruire debet,  
iusurandum scilicet, ne præsit, & vt iusurādum  
nocet bono priuato, non tamen vt bono publico  
nocet. *Mihi magis placet Antonini sententia,*  
*quam sequitur Nauarrus loco citato;* nimirum iusur-  
randum eiusmodi priuata auctoritate violādum  
esse.

**Insiper**, si iuret quis aliquid se non facturum,  
quod ad officium amicitia, pietatis, misericor-  
dia, & charitatis in alterum spectet, incaute iu-  
rat, & venialis se culpa reum constituit. Vt si iu-  
ret se nihil mutuo daturum, si de iussorem non fu-  
turum, non communicaturum cum alio artem,  
vel scientiam, disciplinam, quam nouit vtilem  
alij, non facturum obsequium alicui, elemosy-  
nam huic, vel illi non erogaturum, nunquam De-  
curionem, Consulem, Prætozem, Senatorem, vel  
Magistratum futurum, quod communi, & publi-  
co bono obesse videtur. Hoc etiam intelligendū  
est, in iurando veniale tantummodo peccatum  
committi, quando id, quod iurat quis, præcepti  
vim non habet.

**QVAERES**, an iusurandum, quo quis iurat se  
non mutuo daturum, nunquam fideiussorem fu-  
turum, obseruandum sit? De hoc multa Canonici  
iuris interpretes loquuntur, Ioannes Andr. Spe-  
culator, Archidiaconus, Abbas, Petrus Anchara-  
nus, Oldradus, Antonius Butr. in cap. Si verò de iure-  
iur. in cap. Innocens. & cap. Si aliquid. 22. q. 4. Seruan-  
dum esse affirmat Laurentius. Sed Archidiaconus  
negat, quia est temerarium, & charitati aduersatur:  
quam sententiam cæteri sequuntur, quamuis  
non satis aperte: at merito Nauarr. loco citato, ait,  
huiusmodi iurifurandi vinculum nō esse obser-  
uandum, sed propria auctoritate frangendam.

Si quis præterea iuret promittendo rem ali-  
quam indifferentem, & mediam, vt potè nec bo-  
nam, nec malam, iurifurandi vinculo minimè

tenetur, quamdiu res illa indifferentis est: Vt si quis  
iuret se certo die amputaturum vngues, aut exi-  
turum rus, aut dextro pede, non sinistro egressu-  
rum domo, aut non nisi hoc, vel illo digito pur-  
gaturum aures. Si tamen res illa iurifurando sub-  
iecta bona fuerit, eo ipso iurans iurifurandi re-  
ligione, & vinculo astringitur. Ex quo perspicit-  
ur, qua ratione de multis, quæ iureiurando fir-  
mamus, rectè iudicare possimus. Iurat quis, Ver-  
bi gratia, se cum hoc, aut illo homine non collo-  
caturum; hunc, aut illum in domum suam non  
admissurum, hospitio non excepturum, de hac,  
aut illa re non acturum; ex huius, vel illius offi-  
cina nihil empturum; hac, aut illac non transitu-  
rum. De his enim, & similibus videndum est, an  
boni aliquid habeant, vt reuera habere queant;  
nimirum si quippiam horum quis iurat, vt omne  
peccati periculum, & omnem mali occasionem  
præcidat: & tunc iusurandum est ratum, & fir-  
mum, & obligationem gignit. Si verò sint res pe-  
nitus indifferentes, iurans nullo iurifurandi ve-  
xu, & vinculo tenetur obstrictus.

Secundò quæritur, An iusurandum quo quis  
promittit se facturum aliquid ob finem malum  
sibi propositum sit alicuius momenti, ita vt iurā-  
tem teneat, ac liget? Respondeo, aliud esse iudi-  
candum de eo, qui iurat se facturum aliquid, vt  
in lite iniqua, aut ludo iure naturali damnato,  
cuiusmodi est ludus fraudulentus, aut in bello,  
quod inique gerit, victor euadat, vel vt benefi-  
cium Ecclesiasticum malis artibus obtineat, vel vt  
rem turpem habeat cum certa scemina, vel vt be-  
ne sibi res cōtingat in furto, vel homicidio com-  
mittendo, vel vt is, cuius hereditatem expectat,  
intereat. Aliud verò est de eo iudicandum, qui iu-  
rat se aliquid facturum, si ex bello etiam iniquo  
saluus, & incolumis euaserit: si ex adulterio pro-  
lem susceperit, si furis, vel homicidæ poenas non  
luerit, si hereditatem adierit, si ob litem con-  
demnatus non fuerit, si ex ludo alioqui iure na-  
turali, & diuino permisso, quamuis ratione loci,  
vel temporis, vel personæ interdicto lucrifecerit.  
In prioribus illis, ita vt dixi, iurantibus, iurif-  
urandi finis malus est, ac proinde iurans nulla  
iurifurandi religione obligatur: nam impium  
est te aliquid promittere, vt mali aliquid effici-  
as, vel si gratias Deo agas ob malefactum, quasi  
Deus fuerit mali, siue sceleris auctor. Quod si  
promissio iureiurando firmata per se mala est,  
nullam vim accipit ex iureiurando, neque enim  
iusurandum id, quod per se malum est, confir-  
mare potest. At in posterioribus iusurandum  
non est in malum finem relatum, nec fit ad gratias  
agendas Deo ob malefactum; nam proles ex  
adulterio suscepta malum non est, nec si fur, vel  
homicida, vel iniquum bellum gerens saluus, &  
incolumis euadat per se malum est. Quando igitur  
iusurandum ad finem malum non refertur, 28  
verè iurantem tenet, ac ligat: & tale est iusurā-  
dum, quo quis promittit se facturum aliquid, si  
in bello, furto, lite, saluus euaserit: nam licet bel-  
ligerando, furando, litigando delinquat; libera-  
tio tamen mali, non est res per se mala. Simili-  
ter cum quis iureiurando promittit aliquid, si fi-  
lius ex adultera susceperit, peccat quidem ha-  
bens rem cum adultera, sed filius ex adulterio

genitus, res mala non est. Pari ratione fieri potest ut peccet quis beneficium Ecclesiasticum impetrando, vel hæreditatem, aliudve emolumentum, & commodum adipiscendo, loco, vel tempore, vel desiderio non debito; sed beneficium, hæreditas, commodumve obrentum, non sunt res per se malæ. Quare iniurandum, quod in malum finem refertur, videlicet, quo aliquid promittitur, ut malum consequamur, vel quo gratias Deo agamus ob malum, quod sumus consequuti: similiter quum iuramus nos aliquid facturos, ut res nobis in malo bene succedat, vel quia res bene in malo successit, iuramentum minimè obstringit: at obstringit illud, quo iuramus nos aliquid facturos ob commodum, vel lucrum, quod Deo auctore sumus adepti.

Tertiò queritur, An qui iurat se facturum aliquid paruum, & exiguum, lethali peccet, si iniurandum non seruet? Sic exemplum: Iureiurando si quis promittit se puero pomum daturum, aut salutationem angelicam, vel precationem Dominicam quotidie recitaturum. Sunt duæ opiniones: Prima contendit lethale peccatum committi, nisi huiusmodi promissa leuia, & exigua præstentur. Sic Caietan. 2. 2. q. 89, art. 7. ad 1. dub. Couar. lib. 1. var. res. fol. c. 1. num. 2. Tabien. iuramentum n. 11. Armil. iuramentum num. 12. & Philarchus tom. 1. lib. 3. ca. 3. de offic. Sacerdotis. Animaduertit autem Caietanus rem minimam posse in promissionem iureiurando firmatam dupliciter venire. Primò, quando est pars alicuius totius, ut si iures te daturum quatuor aureos; & deinde promissum exoluas aliè unico denegato. Secundò, quando non est pars alterius, sed per se res integra, ut si iures te daturum vnum assem. At igitur Caietanus, quando rem totam iureiurando promittimus, & deinde promissi partem minimam omitimus, non esse nos lethalis peccati reos; sed tantum venialis, quia non ex toto, sed ex parte minima iniurandum violamus. Ut si quis iureiurando promitteret, quotidie se recitaturum septem Psalmos, qui penitentium esse dicuntur, & in recitando vnum tantummodo versiculum prætermisisset, veniale tantum peccatum contraxisset. Quando verò res subiecta iniurando est quidem minima per se, sed integra, & tota materia iniurando subiecta, & non pars alterius materiæ, si tota negligatur, lethali peccat: quia iniurandum ex toto, non ex parte violatur, ut si iures te puero daturum assem, nucem, vel pomum, nec dederis.

Secunda opinio, docet lethale peccatum non admitti, si iniurandum in promissione rei minimæ adhibitum non seruetur. Sic Sor. lib. 5. de inst. q. 1. art. 7. & lib. 7. q. 2. art. 2. versic. *virum ratione leuitatis*. Nauar. in Manuali. cap. 12. num. 10. & nu. 40. Anton. p. 2. tit. 10. cap. 4. §. 1. Syluest. iuramentum 1. nu. 7. & Nauar. primum sequutus fuit Caietani sententiam: & postea eam refutauit. Hæc sententia mihi verior videtur, propterea quod cum promissum iureiurando firmatum omittitur, non est mendacium iureiurando confirmatum, nam qui iurauit, in animo habuit, & iurare, & se alteri obligare, & præstare promissum: sed postea voluntate mutata cum iniurandum violauit, non est mentitus, sed fidem iureiurando datam perfrigit; in qua

violatione, magna, aut parua culpa contrahitur, pro varietate rei magnæ, aut paruæ iureiurando subiectæ. Siquidem si res est vana, inanis, & futillis, iuramentum non ligat: ergo si exigua est, tenet quidem iuramentum, sed vinculo, & obligatione leui.

QVÆRERES, an qui iurat se certo pauperi, vel pauperibus promissuè singulis diebus daturum vnum assem, siue nummum æreum, & per annum promissum non soluit, in exitu anni sit condemnandus tanquam lethalis peccati reus? Et eadem questio est de eo, qui iureiurando promittit se quotidie salutationem Angelicam recitaturum, & per annum vnum non recitat. Aiunt nonnulli, inter quos est Ludou. Lopez in suo *instruitorio*, cap. 42. & citat Canum, quotidie omittemem, in veniale peccatum tantum incidere, sed postea in exitu anni, in lethale: quia promissio euasit magna, cum tot asses debeat reddere, aut toties recitare promissas preces, quot elapsi sunt dies; ac proinde si promissum non soluitur, lethali culpa tribuitur. Alij contra in vniuersum aiunt, eum nec quotidie omittemem, nec in exitu anni lethalem culpam incurere: quia, quod iurasti in diem certum facturum, eo elapso amplius sub obligatione non cadit. Sor. libro septimo, de inst. questione secunda, articulo primo, vers. *quocirca si vnum emisisti*.

Mihi tamè nec hi, nec illi satisfaciunt: est enim distinctio opus in hac cõrouersia dirimenda: Nam dupliciter potest aliquid in diem certum, ac tempus promitti: vno modo in honorem, & venerationem diei, vel temporis, & huiusmodi promissiones, & obligationes cum ipso tempore extinguuntur, & cessant. Ex quo fit, ut qui ad ieiunium seruandum certis diebus Ecclesiæ lege indictum, aut spontaneo voto promissum compellitur, si ieiunium neglexerit, vinculo eius ieiunij non amplius teneatur ijs elapsis diebus. Clericus pariter lege Ecclesiæ ad preces horarias quotidie recitandas adstrictus, si vno die non recitet, non amplius ad omillas preces supplèdas obligatur. Altero modo, ad tempus certum promissio, & obligatio suscipitur, non in honorem quidem certi temporis, sed ne ultra id tempus promissio, vel obligatio differatur. Sic Ecclesiæ præcepto compellimur semel in anno ad peccata Sacerdoti cõsistenda, ad Eucharistiam in Paschate percipiendam: & tamè elapso anno, vel Paschate hæc præstare debemus, quamuis omiserimus, ut habet probabilior multorum opinio. Cum igitur quis iurando promittit se quotidie daturum assem, aut salutationem Angelicam recitaturum, si promissio sit ad singulos dies ob singulorum honorem, singulis elapsis promissio finitur, & definit, ac proinde iniurandum quotidie violans, veniale semper peccatum admittit, quia in re minima, fidem iniurandi quotidie perfringit, nec in exitu anni peccatum est ab eo lethali peccato: quia singulorum dierum elapsu, promissio quoque finitur, & cessat. At verò, si promissio non fit ob dierum honorem, sed ne ultra diem differatur, venialis quidè culpa quotidie contrahitur; quoniam quotidie promissio negligitur; sed ad finem anni lethali peccatur, si totum non soluitur: tunc enim tot asses debentur, quot dies toto anno effluxerunt: &

runt: &amp;

runt: & toties Angelica salutatio recitari debet, quoties est per annum omiffa. Et proinde cum res magna euaserit, nisi tota reddatur, ac foluitur, lechalis culpa committitur.

Quartò queritur, An iufurandum vim habeat, cum res promittitur, quæ bonum aliquod longe maius impediatur? Respondeo, multiplex esse solere huiusmodi iufurandum. Verbi causa, iurant multi gratia aliorum se aliquid facturos; nimirum ad certum tempus depicturos, transcripturos, docturos, administraturos, gubernaturos, inferturos. Dubitatur, an huiusmodi iurifurandi vinculo adstricti iure queant Religioforum statum fufcipere? Præterea, quis iurando promittit certæ puellæ se eam vxorem ducturum, an iure possit Religionem profiteri, vel ad sacros Ordines promoueri, vel coelibem vitam amplecti? Deijs, & plerisque alijs similibus promissionibus iureiurando munitis generatim dicimus, eas nullius esse momenti, quando maius bonum impediunt: nam id, quod est grauius, & maius bonum, leuiori, & minori, naturali iure præponitur: Et in hoc etiam locū habet, quod dixit Isidorus: *In male promissis resiste de fide, quod refertur in ca. In maius. 22. q. 4.* Quando cunctæ quæ huiusmodi promissa iureiurando confirmantur, tacite ea conditio intelligitur, dummodo cum maiori bono non pugnent. Si quis item promittit se ad certum tempus facturum aliquid causa alterius, iure potest ad Religionem transire, dummodo præter promissionem iureiurando firmatam, nulla alia obligatio iustitiæ accesserit, qua restituere aliquid, vel ratione iniuriæ, vel damni illati cogatur.

Contra hoc tamen facere videtur, quod habetur in *cap. Commissum. de sponsalibus*, ubi decernit Pontifex, vt quidam, qui sponfalia iurauerat, & postea ad melioris vite frugem mentem coniciens, in voluntate, & animo habeat institutum Religioforum profiteri, prius eam in vxorem ducat, quam se ducturum iurando promiserat. *quia tutius inquit, est iureiurando seruato matrimonium contrahere, & deinde ad Religioforum statum conuolare.* Vbi Panormitanus, & alij iuris Canonici doctores: item Palud. 4. dist. 28. quest. 1. art. 3. Sot. 4. dist. 27. q. 2. art. 5. & Couar. in 4. p. 1. cap. 5. nu. 11. Glossam secuti, sentiunt, cum hominem obligatum non esse ad præstandum, quod iureiurando sponderat, eo quod sponfaliorem, hoc est, futuri coniugij promissio in Religioforum domicilium ingressum, quod est maius bonum, impedire nõ potest. Id verò quod Pontifex statuit, vt ille puellam in vxorem duceret, & postea ad Religionis statum commigraret, aiunt fuisse Pontificis consilium, nõ præceptum. Rursum, quod idem Pontifex subiicit, *Tutius esse iureiurando seruato nuptias contrahere; & deinde Religionem fufcipere*, interpretantur, Tutius esse, non quidem re ipsa, sed hominum opinione. Innocentius verò, & Hostiensis in *c. citato commissum*, & alij, Pontificiæ cõstitutionis auctoritate conuicti, docent, cum, qui nuptias puellæ iurando promiserat, compelli ad matrimonium contrahendum, nec posse prius ad Religionis statum tuta cõscientia transire.

Mihi tamen nec horum, nec illorum sententia probatur; nam priores illi auctores aperte cum Pontificia Constitutione pugnant, in qua Pontifex tanquam præceptum tradit, vt eiusmo-

di iuuenis prius puellam in vxorem ducat. Quis quidem rei rationem reddit: *quia tutius est, inquit, iufurandum seruare*: quod perinde est, ac si dixisset: In dubijs, quod tutius est, sequi debemus. Ergo non secundum hominum opinionem Pontifex loqui videtur, sed secundum rei vim, & naturam. Posteriores verò mihi minus placent, quia falsum penitus videtur, eum, qui futuras nuptias iurando pollicitus fuerat, potius adigi ad matrimonium contrahendum, quam ad Religionem fufcipiendam, cum sit hoc longè grauius & maius bonum, quam illud, & iufurandum maius bonum impedire non possit.

Videtur itaque dicendum, Pontificem in *eo cap. Commissum*, locutum fuisse de iuvene, qui postquam ad biennium nuptias futuras puellæ iurando promiserat, sub biennij finem, hoc est, paulò ante biennij exitum Religionem fufcipere cupiebat, sed non nisi post biennium exactum ingredi in cõnobium Religioforum constituebat, vt interim fructus ex agro colligeret, & debita solueret, & domi manens prius in austero, & duro vitæ genere, quale Religiosos decet, & quale fufcipere, & amplecti in animo habebat, se exerceret. Vnde cum in Monasterium ingressum post biennium differret, qui se puellam vxorem ducturum ad biennium iurauerat, Respondet Pontifex tutius esse iufurandum seruare, quoniam biennij tempus elabebatur, & quid allatura sit futura dies, incertum, & dubium sit. Sic Innocentius, & Ioan. Andreas Pontificum responsum interpretantur. Aut certe dici potest iuuenem illum sub biennij finem suspensum, & incerto animo fuisse, contraheret ne matrimonium, an Religioforum institutum fufciperet; & ita rem totam in tempus differrebat: nec enim promissum præstabat, nec ad Religioforum ordinem transibat: & proinde Pontifex decernit, vt puellam ducat vxorem, & deinde ad Religionis statum se conferat, si velit: quod Pontificis respõsum nihil habet, quod cum iure non congruat. Non enim definit simpliciter promissionem futuri matrimonij iureiurando firmatam potius exolui debere, quam Religionem fufcipi: sed id definit speciatim in ea causa, de qua rogabatur, cum iuuenis ille dubius esset, hoc ne, an illud præstaret, & biennij finis, & exitus instaret: & ideo respondet Pontifex: Cum in dubijs tutius, & certius sit eligendum, & is iuuenis dubius sit, vtum ex his duobus agat: & propterea rem totam in dies differat, & biennij constitutum ad nuptias contrahendas interim elabatur, satius est, vt matrimonium contrahat, & iufurandum seruet: siquidem post matrimonium ratum nondum consummatum, intra duorum mensium spatium, quod ius concedit in *ca. Ex publico de conuers. coniug. de liberare poterit*, si velit, de toto ad Religiofæ vitæ institutum, & ordinem transire.

Ex his liquet, quid sit dicendum de adolescentibus, qui ad certa collegia admittuntur, vt in eis alantur ob literarum studium, & iureiurando promittunt se in Religioforum domicilium minimè ingressuros ad Religiofæ vitæ genus profectum infcio, & inconsulto eo, cui est commissura Collegij, aut se in eo statu perseveraturos ad certum tempus, ac in studio literario progressuros. Existimo enim eiusmodi iufurandum vim, &

locum habere, quoniam cedit in cōmunem Reipublicæ salutem, & bonum, vt sint literatorum hominum seminaria, ex quibus idonei Ministri deligi queant ad Sacerdotia, & Ecclesiastica munerata obeunda. Nec huiusmodi iusurandum impedit ingressum in Religiosorum ordinem: quoniam admissi iureiurando pollicentur non se suscepturos Religiosæ vitæ institutum sine permisso eius, cui curæ est Collegium. Non ergo iurant simpliciter eiusmodi iuvenes non se ad Religionem transiuros, hoc enim maius bonum impediret, & iurijurando vim penitus abrogaret. Quod si illi melioris vitæ cupidi Religionem suscipere velint, iure possunt; petita tamen ab eo facultate, cui est Collegij cura concedita, quamuis non obtenta: quoniam iusurandum non violant, cum facultatem petant: nec tamen eam impetrare, sed petere tantummodo coguntur.

Animaduertendum tamen est tuta conscientia ab huiusmodi adolescentibus iusurandum exigere, quo promittant se in animo habere in literariū studia incumbere, & in his perseuerare. Aliud enim est iurare, se id in animo habere; aliud vero, iurare se nō ingressuros Religionem sine concessu, aut sine permisso eius, qui Collegium gubernat. Vtrumque enim iusurandum cum ratione, æquitate, & iure conuenit, sed diuersum est: nam qui primo modo iurat, facultatem petere, iusurandi religione, & obligatione non cogitur, & quādoque voluerit, potest ad Religionem cōuolare: satis est, si dum in Collegium admittitur, in animo habeat in literarum studia operam, & curam conferre. At qui secundo modo iurauerit, ad petendam facultatem compellitur, si velit Religionem suscipere. Quærit Nauar. *consil. 1. de Regularib.* An iuvenes, qui admissi in Collegium Anglorum, quod est in Vrbe, vt statuti ipsius Collegij iureiurando promittunt se post absoluta literarum studia profecturos in Angliam ad religionem, & fidem Catholicam publicè defendendam, docendam, & hæreticos conuincendos, tuta cōscientia ad Religiosorum institutum, & vitam transire possint. Respondet ille, nō posse; quod probat primo, quia seru<sup>9</sup> in Religionem ingredi iure nequit absque sui domini consensu. Secundo, quia si quis iurando promisit puellæ se illam vxorem ducturum, ad Religionem se conferre nō potest, nisi prius cum ea nuptias contraxerit, *cap. Commissum, de sponsalibus.* Tertio, quia Procuratores, Tutores, Curatores, & reliqui ad curam, administrationem, munus, & officium electi, & obligationis vinculo obstricti nequeunt iure suscipere vitam religiosam, quia sui muneris, curæ & tutelæ debent rationē reddere. Quarto, quoniam qui sunt ære alieno obstricti ad Religionem se recipere non possunt, nisi debita soluant. Mihi hæc Nauarri sententia non placet, & multo minus eius rationes, & argumēta probantur: quoniam qui iusurandum in melius mutaturus non est: in c. *Peruenit. 2. de iureiur.* habetur: *promissum non infringit, qui illud in melius commutat.* & *Scriptura, de voto, dicitur: rem facti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuū noscitur religionis obseruantiæ commutare.* Nec rationes Nauarri aliquid concludunt: nam seruus non est sui iuris, sed domini possessio. Item ceteri, quos Nauarri in me-

dium producit, sunt aliquo iustitiæ vinculo hominibus obstricti, & ingressus in religionē cum alterius damno esse non debet: at prædicti iuvenes solum sunt iurifurandi nexu Deo obligati, quod ingressum in religionem impedire iure non potest.

Ex his etiam perspicitur, quid sit iudicandum de ijs, qui dum ad beneficium, & ministerium Ecclesiasticum promouentur, iurando interdū promittunt Ordinario loci id exigente, se illud non dimisuros, & deposituros gratia alterius, quod dicere solent se non resignaturos in gratiam, & fauorem alterius, aut cum alio non commuturos sine consensu ipsius: Eiusmodi enim iusurandum nō impedit, quin ijs, quorum animus est se ad Religiosorum Ordinem, & statum recipere, beneficium deponant gratia amicorum; quoniam illud tantummodo adhibetur, ne is, cui beneficium cōfertur, statim eo se abdicet, & apud Romanum Pontificem per se, vel per Procuratorem gratia alterius deponat, reseruata sibi certa pensione. Sed raro exigere solent Ordinarij eiusmodi iusurandum: tantummodo is, qui Beneficium impetrat, & obtinet, iurat se in animo habere Beneficium suscipere, vt debitum officium præstet, & Ecclesiæ inseruiat: quod iusurandum æquissimum est, & cum ipso Canonico iure conueniens, ne quis Ecclesiæ præficiatur ea voluntate, & animo, vt illam statim cum alia permuret, aut dimittat gratia alterius, retenta sibi pensione Romani Pontificis auctoritate. Abusus enim est quorundam Beneficia impetrantium, & assequentium, vt statim ea cum alijs commutent, vel ijs gratia aliorum se abdicent, & sibi pensiones acquirant.

## Caput VI.

### Alia quedam de eadem re quæstiones diluuntur.

PRIMO queritur, An iusurandum valeat contra simplicem, & nudam promissionem? Respondet Innocentium *cap. Veniens, de iureiur.* tenuisse eum, qui iurat contra simplicem promissionem, qua alteri se obligauerat, iusurandum seruare debere, & nihilominus satisfacere alteri, cui promiserat se aliquid facturum. Ceterum Hostiens. Ioan. Andreas, Abbas, Ancharanus, Antonius, & alij in *cap. Veniens, de iureiur.* communi consensu contra Innocentium docuerunt, iusurandum contra simplex promissum nullius esse momenti, & ponderis. Sic etiam Couar. in 4. *de Matrim. p. 1. cap. 4. nu. 3.* sic Henri. in *cap. Veniens, de iureiur.* quamuis Imola in eo capite maluit contra communem sententiam Innocentij opinioni adherere. Exemplum propono: Titius certę puellæ futuram nuptias simpliciter promisit: deinde alteri futuram quoque nuptias iurando spondidit. rata est & firma prima promissio, quamuis sit secunda iureiurando munita. Similiter promissit Cajo te venditurum librum tuum, aut fundum; deinde eundem librum, aut fundum te venditurum alteri iureiurando firmasti: valet prima promissio, quamuis simplex, & nuda, quoniam iusurandum in secunda promissione interpositū eo ipso, quod est contra simplicem promissionem, cum bonis moribus repugnat: nam primæ promissioni, & si-

dei an.

dei antea data aduersatur, & proinde iuri naturali, quod si dem datam seruandam esse præscribit. Quo fit, vt qui contra simplicem promissionem, secundum iureiurandum confirmat, sit in iurando periurus: ac rursus peccet, si sequendam præset prima promissione posthabita, quoniam primæ uinculum cū fuerit prius, eo ipso est æctius. **Ac totum hoc locum habet, cum secundæ promissioni nullum aliud iustitiæ uinculum præter ius iurandum accedit.**

**Secundò queritur, An ius iurandum secundum ualeat contra primum?** Respondeo, minimè, si cum secundo nullum aliud iustitiæ uinculum cōiungatur, vt si iurasti te locaturum operas tuas, uel domum certam Caio, & deinde idem prorsus iurando promissisti Titio, seruandum est primum ius iurandum, & in secundo fuisisti periurus, quoniam contra fidem Caio datam iurasti. Similiter si iurasti te Caio centum daturum; & deinde totidem Titio iurando spondidisti, si non habeas nisi centum ea debes Caio dare: alioqui si Titio das, ius iurandum negligis. Duo ex iure Canonico pro hac sententia faciunt. Primum est, quod habetur in cap. Intellecto, de iureiur. ubi habetur Vngariz Regem quædam bona ad Regiam dignitatem pertinentia alienasse, & iurasse nunquam se contra eam alienationem uenturum, qui in sua creatione iurauerat nunquam se regni sui bona, aut iura alienaturum. Decernitque Pontifex nullum esse secundū ius iurandum. Alterum est, quod tradit Glossa in c. Licet, de iureiur. in c. communi consensu recepta. Si mulier, inquit, inuauerit se non alienaturam res dotales, aut dotatas sibi propter nuptias: quod si alienauerit, reuocaturam se alienationem, & postea alienauit sine Iudicis auctoritate, & alienationem iureiurando adhibito confirmauit, ualeat ius iurandum primum. Pari modo Episcopi dum consecrantur, iurant non alienaturum se iux Ecclesiæ bona absque Romani Pontificis consensu, quæ si postea alienent, & alienationem iureiurando confirmet, secundum ius iurandum nullus est ponderis, & momenti. Ita etiam si minor iuret se nihil alienaturum, & deinde alienet, & iureiurando alienationem corroboret, primum ius iurandum subsistit, secundum nõ item.

**Tertiò queritur, An id, quod fit contra promissionem iureiurando firmatam, sit ratum, & firmum?** Tres sunt opiniones. Prima, in uniuersum, ait, nullius esse firmamenti. Sic Hostiensis, Speculator, Archidiaconus, & Gaspar Calderinus, ut testatur Syluest. iuramentum 4. q. 12. Secunda opinio distinguit, ait id, quod fit, ad temporalia pertinet, & tunc ius iurandum subsistit. Vt si tibi iuradum promisi me librum, aut fundum uenditurum; & deinde alteri uendidi rata est, & firmam uenditio: at uerò si id, quod fit, pertinet ad spiritualia, tunc non ualeat id, quod fit contra ius iurandum, ut patet ex cap. Dilecto, de Preben. ubi Pontifex constituit infirmum esse, & inane, si Canonici antea ut Canonicoꝝ numerum contra statutum, quod ipsi ediderunt, & iureiurando confirmauerunt. Sic Innocentius, Antonius, Imola in ca. Dilecto, de preb. ut refert Couar. in cap. Quamuis, de patris in c. p. 2. §. 2. d. 5. Tertia opinio, generatim, ait, id, quod fit contra promissionem iureiurando munitam consistere, nisi in certis causis iure ipso exceptis. Hanc sententiam Panormitanus inquit in ca. Dilecto, de Preb.

esse cõmunem; immo asserit distinctionem Innocentij cõmuni cõsensu improbari, quod idem affirmat Couaruius, cū Decio, & Aleciato loco prædicto. Et hæc est amplectenda, ut ex subiunctis patebit exemplis. Si quis certæ puellæ futuras nuptias iurando promissit; & postea cum alia matrimonio contraxit, matrimonium est ratum, & firmum. c. Sicut ex literis, de sponsalib. Item, qui iureiurando spondidit Titio se uenditurum domū, uel fundū suum, & postea uendidit Caio, rata est uenditio. l. Quoties. c. De rei uindicat. Præterea, qui iurauit non se reuocaturum procuratorem à se constitutum ad matrimonium contrahendum; & deinde reuocat, uim habet reuocatio. Glossa in cap. vlti. de procuratorib. in c. cõmuni consensu recepta. Insuper, qui iurauit se nunquam reuocaturum testamentum à se confectum, & postea reuocat, reuocatio ualeat, ut latè probat Couar. in Rubr. de testam. p. 2. n. 9. contra Hostiensem, & speculatorem. Si quis item, cuius est Beneficium Ecclesiasticum conferre, iurauit se illud collaturum in Titium; & postea Caio dedit, firma est, & rata collatio, ut uocã; quod testantur contra Innocentium, Ioan. Selua. trakt. de benefis. p. 3. q. 27. & Couar. loco citato. Si etiam Episcopus iurauit se Ecclesiæ suæ bona non alienaturum etiam ex causis iure concessis; & deinde alienauit in causam iure permissam, alienatio subsistit, ut docent Archidiaconus, Gaspar Calderinus, quos refert Abbas in c. Intellecto, de iureiur. nu. 6.

**Obijcies id, quod habetur in c. Dilecto, de preben. ubi Pontifex ait, non posse Canonicos numerum Canonicoꝝ augere, si statutum ediderint, & iureiurando firmarint se nunquam numerum aucturos.** Respondeo cum Panormitano, ibi non dici nullius esse momenti noui Canonici creationem, sed Canonicos id facere nõ posse, quoniam iurauerunt id non se facturos. Firma est igitur noui Canonici electio, sed Canonici sunt periuri. Hinc etiam efficitur, ut si Princeps legem ferat, & iuret se nunquam eam abrogaturum, si postea eam abroget, abrogatio ualeat; ita tamen, ut ipse sit periurus. Eodem modo, si patronus Ecclesiæ iuret se Titium Clericum idoneum nominaturum, & oblaturū Episcopo, deinde uerò Caium Clericum æquè idoneum nominet, & offerat, periurus est; sed nominatio, quæ dicitur Prebentatio, non est irrita, & inanis.

**Deinde obijcies id, quod habetur in cap. Intellecto, paulò ante producto, ubi Pontifex decernit inuitiles, & irritas esse alienationes à Rege Vngariæ factas contra ius iurandum, quo, dum ille Rex crearetur, promiserat, se nihil eorum, quæ ad regiam dignitatem pertinerent alienaturum.** Respondeo, eas alienationes bonorum non ideo rescindi, quia contra ius iurandum factæ fuissent, sed quia cum detrimento, & iactura regni: quare etiam si nihil Rex ipse iurasset, pariter dissoluerentur tanquam communi Reipublicæ salutis, & bono perniciosa. Demum obijcies id, quod Glossa docet in cap. Licet, de iureiur. in sexto, quando mulier iurauit se non alienaturam res dotales, aut sibi donatas propter nuptias; & se reuocaturam alienationem, si aliquando alienauerit, & postea alienauit absque Iudicis auctoritate: Nihil, ait Glossa, ualeat alienatio. Respondeo, nihil ualere, quia eiusmodi alienatio est mulieribus noxia, & pri-



num iusurandum est iuri, & rationi naturali consentaneum.

Quartò quæritur, An iusurandum vim ullam habeat contra bonos mores? Respondeo cū communi omnium sententia nullius esse momenti. *cap. Non est obligatorium, de reg. iur. in 6.* dicitur: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.* & l. Si vnus. §. Illud ff. De pactis, sic habetur: *Illud nulla pactione effici potest, ne dolo præstetur.* l. Conuenire ff. De pactis dotalibus, statuitur: *Conuenire non potest, nec illa quidem pacta seruanda sunt, ne ob res donatas, vel amotas agatur: quia altero pacto ad seruandum mulieres inuitantur, altero in civile impugnantur: ceteri conuenere ne ob impensas necessarias agerentur, tale pactum non est seruandum, quia tales impensæ dotem, ipso iure, minuant.* Et l. sequenti Pomponius, dicitur: *Pomponius ait maritum non posse pacisci, vt dolum solummodo in dotē præstet.* l. Si vnus. §. Pacta ff. de Pactis, habetur: *Pacta, que turpem causam continent, non sunt obseruanda: veluti si paciscar, ne furti agam, vel iniuriarum si feceris. Expedit enim timere furti, vel iniuriarum pernam. Sed post admissa hæc, pacisci possumus. Item, ne experiar interdico, Vnde vi, quatenus publicam causam contingit, pacisci non possumus. Et in summa, si pactum conuentum à re priuata remouum sit, non est seruandum. Hæc ibi. Et cap. Quemadmodum, De iureiuran. dicitur: *Illud autem iuramentum est proculdubio; emerariū, si vir iuret uxori, quod eam super nullo crimine accusabit. Quia si mulier fieret infidelis, & nollet cohabitare cum viro absque contumelia Creatoris, tunc deberet illam ad iudicem suum deferre. Hæc Pontifex. Vnde Glossa rectè ait: Si aliquis iurando promittat se non denuntiaturum fontes, non valet iusurandum: quia aditus patet feret delictis. Similiter si quis iurando promittat se non patesciturum arcanum suæ fidei commissum, iusurandum irritum est, & inuile, si arcanum sit iniquum, & præsertim communi saluti Reipublicæ noxiū.**

Animaduertendum est, bonos mores esse varios; alij enim sunt, quos ius naturale præscribit, & imperat. Alij, quos scriptum diuinum ius præcipit. Alij verò, quos ius scriptum canonicum, vel civile constituit. Cum igitur communis sententia docet, vim nullam habere iusurandum contra bonos mores, intelligit contra bonos mores iuris naturalis, vel diuini scripti, vel Canonici. Secus autem est, si iusurandum sit solummodo contra bonos mores iure civili institutos, de quibus capite sequenti tractabitur.

### Caput VII.

Quando, & quomodo iusurandum contractus, & conuenta confirmet.

PRIMO quæritur, An iusurandum confirmet contractus, qui alioqui irriti essent, & inanes iure civili? Quod est quærere, An id, quod fit, & iureiurando firmatur, eo ipso, vim habeat; cum tamen alioqui iure civili sit irritum? De qua quæstione agunt Pontificij iuris interpretes in ca. Cum contingat, De iureiuran. & cap. Licet. De iureiuran. in 6. & ciuilibus iuris doctores in l. Sacramen. c. Si aduersus venditionem. Præsertim Bartho. Paul. Alberic. Salyc. Cornueus, lalon. Vnde Barth. in l. Si quis pro eo. ff. De fidei iusuribus, quasdam præceptiones, & regulas tradit, in quibus quidam conueniunt, alij non item. De quibus etiam multa Abbas in cap. Cum contingat.

de iureiuran. Couar. in cap. Quamuis pactum, de pact. in 6. p. 2. §. 1. & sequentibus.

Prima est: Quoribus contractus est contra bonos mores iuris naturalis, vel diuini, vel Canonici, etiam si iureiurando firmetur, non fit ratas, & firmus. Exempli gratia: Pactum, inquit, ne dolo in contractibus præstetur, hoc est, Ne si quid mali dolo fiat, resarciatur, reddaturque. Item: Pactum vt quis domo expellat vxorē, & filios suos. Item: Pactum, vt quis venenum præbeat patri, vel alteri innocenti. Pactum, ne quis delinquentem acculet, aut ne quis arcanum iniquum, & noxiū Reipublicæ saluti patefaciat ijs, quibus debet.

In hac quidem prima Regula à Bartholo posita conueniunt omnes: ea enim colligitur ex cap. Non est obligatorium. De reg. iur. in 6. & l. Contractum ff. De reg. iur. & ex l. Non dubium. C. de legibus. At verò in huius Regule confirmationem, aliqua exempla in medium producit Bartholus, quæ ceteri non probant. Alij enim pactionem futura hæcætionis factam absque consensu eius, de cuius hereditate agitur, etiam iureiurando firmatam non valere. Quis, inquit, est contra bonos mores naturales, quoniam datur occasio optandæ mortis alterius. Sed alij multi, teste Couar. in c. Quamuis. de pact. in 6. p. 2. in ius. n. 2. docent, huiusmodi pactionem esse quidem iure civili interdictam. l. vlt. & l. Pactum quod dotali. C. de pactis. & l. Pactum dotali. C. de collationibus; sed non iure naturali, siquidem & fieri potest consensu eius, de cuius hereditate tractatur, & auctoritate Principis; & tamen occasio optandæ mortis etiam in his casibus non tollitur. Secundum proponit Bartholus exemplum: Vt si quis iurando promittat non se reuocaturum primū testamentum factum. Nullum est, inquit, iusurandum, quia est contra bonos mores naturales, vt constat ex l. Stipulatio. ff. De verbor. significacione. vbi iuriconsultus ait: *Stipulatio hoc modo concepta: Si heredem me non feceris, tantum dare heredes: inutilis est, quia contra bonos mores est, nimirum contra liberam testandi voluntatem, quam huiusmodi promissio, & iusurandum adimit. Plerique tamen, vt testatur Couar. in rubr. de testam. p. 2. num. 15. hoc exemplum non probant, quia tantummodo iure civili videtur esse interdictum pactum de non reuocando testamento iam facto. Tertium producit exemplum: Vt si quis, inquit, faciat donatio omnium suorum bonorum, etiam futurorum, & iureiurando confirmet, aut non subsistere huiusmodi pactum, etiam iureiurando manent, quia est contra bonos mores naturales: aufert enim liberam testandi facultatem. Hoc exemplum Bartholi multi vtriusque iuris interpretes approbant, quos citat Couar. in Rubrica de testam. p. 2. nu. 4. Sed alij hoc pariter exemplum improbant, quoniam donatio omnium bonorum etiam futurorum, solum videtur esse iure civili prohibita, vt constat ex l. vlt. c. de pactis. & l. Hereditas. C. de pactis conuent.*

Secunda Regula Bartholi est: Quando lex ciuilibus ob publicum, & commune bonum potissimum lata est, iusurandum interpositum in contractu ea lege interdicto, eum non confirmat: quia in cap. Si diligenti. De foro compet. & cap. Ad apostolicam, de Regularibus, & l. Ius publicum. ff. de pactis. plane dicitur, non posse ius publicum pacto priuatorum tolli. Huius secundæ Regule Bartholus exempla producit, vt l. 2. & l. Quemadmodum l. Omnes profugi. l. Originarios. C. De agricolis, & censibus sanctum

est, ne quis possit vendere prædium, & retinere colonos agriculturæ prædij adscriptos: quæ lex lata est ob communem agriculturæ bonum. Ideo, inquit Bartolus: Si quis prædium emendo hoc iure cederet, & iureiurando firmaret, nihil efficeret. Item in l. Senatus ff. de contrahen. & l. Cetera ff. de legat. 1. Statutum est, ne quis domum, villamve diruat, quod plus sibi acquiritur. Item, ne quis vendat marmora, aliaque res affixas ædibus, eo quod inter sit Reipublicæ, ne ædificia publica, siue priuata deformentur. Si quis igitur hoc iure cederet, & iureiurando confirmaret totum irritum esset. Item l. Propter andum ff. Sed etsi quidem. C. de iudic. Statuitur infatiam litis per triennium extinguui, ne lites immortales fiant. Si quis iurando hoc iure cederet, nullus esset contractus, ait Bartholus. Quod Felinus, Imola, Alexander, & Couarruias approbant, vt videre licet apud ipsum Couar. in cap. Quamuis. de pact. in 6. p. 2. §. 1. nu. 2. & 3. Similiter in l. 2. C. de donationibus inter virum, & uxorem. & l. Miles ita. §. Mulier ff. de militi. §. ff. am. Statuitur, si quis miles meretrici, aut concubinæ donauerit, donatio non valet; idem quoque iuris, ait Glossa est, si quis Clericus, vel aduocatus donet eidem, quoniam iure Clericus, & aduocatus milites quamuis non armati censentur. Quare etiam si iureiurando firmetur non valet, ait Bartholus, & approbant Couarruias, Aymo, Ripa, Antonius, vt testatur idem Couar. loco citato. num. 4. Item, postea statuto, quo debitor frumenti liberatur, soluendo certam pecuniæ quantitatem pro quolibet frumenti debiti modio: quoniam interest Reipublicæ ciues, & rusticos plures habere, qui frumentum seruent: Si quis iurando hoc statuto cederet, irritum totum esset, Bartholus, Couarruias, Alciatus, vt ex eodem Couarr. constat loco citato. Similiter solet esse statutum, Ne nobilis ob res alienum in carcerem mittatur, si bona non habeat; ex quibus debita pecunia solui possit. Si quis nobilis iurando hoc statuto cederet, nihil efficeret: quoniam est statutum ob publicum nobilium hominum bonum. Cæterum Imola, & alij, quos Couarruias citat loco citat. hanc Bartholi secundam regulam, & exempla minimè probant.

Tertia Regula Bartholi est: Contractus lege prohibitus in odium, & poenam eius, cuius gratia fit, si iureiurando firmetur, ratas, & firmas non fit; iusiurandum tamen nisi legitima auctoritate laxetur, remittaturue, seruari debet: Vt si quis iurauit se soluturum vsuras, cap. Debitores. De iureiur. & cap. Significante, de pignori. Item, si quis iurando promitteret latroni, hosti, tyranno, se daturum centum, ne occideretur ab eo: Si quis item iurauit se soluturum mille aureos, ne iniq̄ vexetur ab alio, in his vitæ est iusiurandum, ita vt seruandum sit, nisi Ecclesiæ auctoritate relaxetur, aut consensu eius, cui est facta promissio, remittatur; contractus tamen, hoc est, si promissum persoluitur, vim non habet; quoniam qui recipit promissum, & id facit per vim, aut metum, turpiter recipit; & præterea restituere debet. Et hanc Regulam omnes admittunt: nec tamè cum Bartholo conueniunt in quibusdam exemplis, quibus vitatur. Nam ait ille ex hac Regula colligi, vt si fili<sup>9</sup> familias cedat iureiurando, Senatusconsulto Macedoniano, & creditori soluat post mortem patris pecuniam mutuo acceptam, dum pater viueret, non

confirmari iureiurando contractum, & tuta conscientia posse solutam repetere, quamuis mortuo patre debuerit promissum creditori soluere: quoniam, inquit, Senatusconsultum Macedonianum constitutum est in odium creditorum, vt constat ex l. 1. ff. Ad Senatusconsultum Macedonianum. In hoc exemplo cum Bartholo conuenit Abbas, nō tamen Antoni<sup>9</sup>, & Imola, vt testatur Couar. e. citat. §. 3. nu. 4.

Quarta Regula Bartholi est: Quoties contractus, vel pactum solum iure ciuili prohibetur, potissimum ob priuatum iuratis commodum; si iureiurando firmetur, fit ratas, & firmas. Hanc quoque Regulam veram esse cæteri consentunt: at exempla quædam à Bartholo adhibita non omnes approbant. Ait enim contractum à prodigo, cui auctoritate iudicis contrahere est interdictum, iureiurando minimè confirmari, quoniam non est illi interdictum contrahere ob ipsius commodum priuatum; sed eo quod integro iudicio carere censetur. Hoc exemplum, & rationem Bartholi, teste eodem Couarru. cap. citato. nu. 8. approbant quoque Baldus, Angelus, Paulus, Iason, Alexander: sed contractum eiusmodi iureiurando confirmari, sentiunt Antonius, Imola, Romanus, & Aretinus: quoniam solum prohibetur contrahere ob priuatum eius bonum. Sed Couarruias cum Bartholo sentiens ait esse illi interdictum contrahere, eo quod creditur pleno iudicio carere; sicut prohibetur furiosus, vel amens contrahere, nisi vterque contrahat curatoris auctoritate. At verò omnes, vt patet apud Couarruiam cap. citato, num. 3. admittunt aliud Bartholi exemplum de scemina fideiussionis contractum ineunte, & eum iureiurando confirmante: qui contractus fit ratas, & firmas ob iusiurandum adhibitum, licet contractus fideiussionis in scemina iure ciuili minimè subsistat, vt constat ex Senatusconsulto Velleiano: nam hic contractus lege Ciuili prohibetur, vt sceminarum priuato comodo consulatur. Præterea Bartholus distinguit: Quando lex prohibet contractum verbis in personam contrahentem directis, non confirmatur contractus iureiurando: nam qui contrahit, cum prohibetur lege contrahere, lethaliter delinquit, quoniam legem violat: at verò quando lex prohibet contractum verbis non in personam, sed in rem directis, contractus iureiurando confirmatur; quoniam qui contrahit, non peccat, eo quod non agit contra legem, cum non sit à contrahendo lege submotus. Sed hanc Bartholi distinctionem, & rationem eius, meritò plerique tum Canonici, tum Ciuilibus iuris interpretes cōfutant, Antonius Butrius, Ioannes Imola, Petrus Ancharanus, Abbas, Decius, Iason, Alexander, Paulus, & Couarruias docentes, siue verba legis prohibentis contractum, in personam, siue in rem dirigantur contractus iureiurando confirmatur, si solum fit lege prohibitus ob priuatum bonum; non peccat, qui contrahit, & contractum iureiurando corroborat.

Sed concessis primæ, & tertiæ Regulis Bartholi, cū Imola, ex his vnam efficiamus, quæ quæstioni propositæ in vniuersum respondemus. Quando contractus solū est iure ciuili interdictus, iureiurando interposito cōfirmatur, vt subiunctis patet exemplis. Si mulier res dotales, aut sibi donatas

propter

propter nuptias sine auctoritate Iudicis alienat, nulla est iure civili alienatio, ut constat ex *l. Julia. nu. ff. de fun. dotali.* & *Authent. siue à me. C. ad Velleian.* at verò si alienationem iureiurando confirmet, etiam sine auctoritate Iudicis, iusurandum alienationem confirmat. *c. Cum coniugat. De iureiurando.* & *cap. Licet. De iureiur. in 6. Item* lex civilis, ut habetur in *l. Pactum dotale. C. de collat.* & *l. Si quando. & l. Pactum quòd dotali. C. de pactis.* damnat pactum factum à filia in commodum, & bonum Patris, ut dote contenta in bonis paternis, non amplius succedat: at verò si filia huiusmodi pactum iureiurando confirmet, iusurandum pactum reddit ratum, & firmum, *c. Quamuis de pact. in 6.* Præterea donatio omnium bonorum etiam futurorum iure civili inutilis est, & inanis, *l. vlt. c. de pact. & l. hereditas. C. De pact. conuent.* Verum si iureiurando firmetur, vim habet. Amplius donatio absque insinuatione facta, iure civili infirma est, & irrita, at si iureiurando confirmetur, subsistit, ut docet Ioann. Andr. contra Bart. & Salicetum, teste Syluest. *donatio. a. q. 6.* Donatio quoque inter virum, & uxorem, aut inter patrem, & filium iure civili damnatur, at iusurandum si interponatur, eam confirmat, ut habet communis vtriusque iuris doctorum opinio: ut testantur Couarr. in *Rubric. de testament. p. 2. nu. 10.* & Syluest. *donatio. a. q. 4.* Pactum etiam de non reuocando testamento iam factò, iure civili non probatur; at ratum, & firmum est, si iureiurando firmetur. Similiter lex civilis prohibet, quo minus à viro fideiussores dentur pro dote restituenda; si tamen dotis restituendæ promissioni fideiussio accedat iureiurando firmata, valet. Item minor, nisi auctoritate curatoris, vel tutoris, & iudicis donare, aut alienare non potest. *l. Pupillus. ff. de acquiren. rerum dominio;* at si iureiurando donationem cõfirmet, ea vim habet: ita ut repeti non possit, quod fuerit per eum donatum, alienatumque, quamuis absque formula solenni iuris civilis ut habetur in *Authent. Sacramenta puerum. C. si aduersus venditionem.*

Quò efficitur, ut si statutum marito præcipiat, ne à rhas vxori donet vltra decimam partem suorum bonorum, & nihilominus si quis vir donando decimam partem excedat, & donationem iureiurando confirmet, iusurandum eam reddit ratam, & firmam. Sic etiam, si statutum vetuerit, ne pater filix, quam in Matrimonium collocat, det dotem vltra certam suorum bonorum quantitatem, consistet donatio vltra eam quantitatem, si iureiurando muniatur. Sequitur ergo, ut exempla à Bartholo supra posita ad secundam suam Regulam comprobendam, quamuis à multis alijs vtriusque iuris doctoribus comprobentur, incerta sint, & dubia, & multorum iudicio falsa. Si tamen contractus iure Canonico sit irritus, iureiurando non confirmatur. Vnde si clericus iurando cedat canoni, siue constitutioni, quæ prohibet quo minus Clerici coram Iudice Ecclesiastico conueniri queant, nullus est contractus. Similiter si pœna apponatur promissioni, aut stipulationi matrimonij futuri, licet iureiurando roboretur, est inutilis, & inanis, quia pugnat cum libertate coniugij, quam in matrimonio contrahendo ius canonicum requirit, & postulat in *c. Cum gemma. & c. Cum locum. De sponsalibus.*

Ex dictis efficitur, nudum pactum, & simplicem pollicitationem, si iureiurando firmetur, ita confirmari, ut actionem etiam iure civili producat: nam licet ex pollicitatione, quæ est vnus alteri præfenti, siue absentis facta promissio, iure civili non oriatur actio, nec item iure civili ex nudo pacto, quod in duorum consensu, nulla causa intercedente consistit. *l. Iuris gentium. ff. Quinimo. ff. de pact.* sed iure Canonico ex eo actio nascitur, ut ait Glossa communi consensu recepta *c. 1. de pactis.* & proinde si nudum pactum, vel pollicitatio iureiurando muniatur, actionem vtroque iure gignit, ut ex communi sententia Couarruias ostendit in *c. Quamuis. de pact. in 6. p. 2. §. 4. nu. 13.*

Secundò queritur, An iusurandum contractus confirmet iure civili prohibitos, si per metum in eis positum fuerit. Communis est sententia, quam refert Couarr. in *cap. citato. p. 3. §. 4. nu. 2.* non confirmare: & in *cap. Cum coniugat. de iureiur.* habetur huiusmodi iusurandum esse seruandum, si fuerit absque vi, & dolo, & sponte præstitum: sponte interpretantur omnes, siue metu. Si queratur, an sit necessaria iurisurandi absolutio, ut quis possit agere contra iusurandum in contractibus metu interpositum? Duplex est opinio: Prima negat esse necessariam, Abbas, Felinus, Francus, Alciatus, quos citat Couarr. *lib. 1. varia. resolut. cap. 4. nu. 7.* & in *Epitom. ad 4. lib. Decre. p. 2. cap. 3. §. 5.* Secunda affirmat requiri. Hanc tenent Ioan. Monachus, Ioan. Andreas, Dominicus, teste Couarruias: qui similiter ait Abbas sententiam esse vsu receptam, licet secunda opinio magis cum iure consentiat: prima sententia mihi magis probatur.

Tertiò queritur, An iusurandum contractus iure civili interdictos confirmet, si in eis dolus contigerit? Respondeo non confirmare, ut patet ex *cap. Cum coniugat. De iureiur.* & *cap. Licet. de iureiuran. in 6.* vbi enim dolose contrahitur, is, qui contrahit deceptus, consentire minime censetur. Si ROGES, an ut is contra iusurandum agat, absolute iurisurandi indigeat? Communis est sententia, teste Couarr. in *cap. Quamuis. de pact. in 6. p. 3. §. 4. nu. 2.* non esse necessariam absolutiorem.

Quartò queritur, An iusurandum confirmet contractus, in quibus alter cõtrahentium grauius læditur in eo, quod sua interest. Dux sunt opinioniones: Prima negat confirmare, quam tenent, teste Couarr. in *cap. citato. p. 3. §. 4. nu. 3.* Ioan. Calderinus, Petrus Ancharanus, Antonius Butrius, Abbas: immo Decius eam communem esse testatur: & ratio est, quia deceptus, aut læsus, non creditur consensisse. Secunda opinio affirmat confirmare. Eam habent Archidiaconus, Francus, Imola, Alexander à Couarruias producti. Quidam has duas sententias conciliare contendunt, ita ut prima locum habeat, quando detrimentum, & damnum est rei acquisitæ in contractibus. Secunda verò, in contractibus, in quibus detrimentum est rei acquirendæ, quos Couarruias confutat, aliter concilians, ut prima locum habeat, quando læsus est quis, siue in re acquisita, siue acquirenda, ita grauius, ut sit damnum enorme: Secunda verò, quando non ita grauius læditur. Ex quo deducit, ut si Maior iuret contractum venditionis, in quo vltra dimidium iusti pretij decipitur, non possit agere, si decepto fuerit paulò maior dimidio, cum a-

liocui

liquo si contractus nullum iurifurandi haberet firmamentum, posset agere. *Glossa in L. Rem maioris. C. De rescindenda venditione. & Glossa in cap. penult. De empt. & vend.* Si verò, inquit Couarruias, deceptio sit immodica, & enormis, siue in contractu venditionis, siue cum quis cedit iure hereditatis acquisitæ, vel acquirendæ; iurifurandum non confirmat contractum. Pari ratione Minor simpliciter contrahens iurifurando posito, eo ipso, censetur cedere beneficio ætatis, hoc est, perinde contrahit, ac si maior ætate esset: non tamen ex hoc excluditur à beneficio legis concedentis actionem, quando est deceptio ultra dimidium iusti pretij. Sic *Glossa paulo ante citata.* Hoc tamen intelligitur, nisi promiserit se non facturum contra contractum; nec ratione minoris ætatis, nec alia qualibet causa. Ita *Glossa prædicta*, sic etiam si Minor cedat hereditate acquisita, vel acquirenda, cedit beneficio minoris ætatis, ita ut facere contra contractum non possit.

**Quintò quæritur**, Quo pacto iurifurandum contractum confirmet iure ciuili interdictum? Quod est quærens, an ita confirmet, ut contractus omnino valeat, an verò ita, ut is qui iurauit, id præstare debeat, quod iurando promisit, nisi iurifurandum legitima auctoritate relaxetur: nam plurimum refert, an iurifurandum primo modo contractum confirmet. Si enim ita confirmet, non solum is, qui iurauit, debet id, quod promisit, exsoluere, aut stare conuentis, sed etiam eius hæredes, aut cæteri, qui ius habent; debent pariter promissum, aut contractum seruare. Præterea etiam si iurans, iurifurandi vinculo Ecclesiæ auctoritate soluitur; non idcirco potest contrauenire contractui, qui ob iurifurandum interpositum est ratus, & firmus. Si verò solum secundo modo contractus iurifurando firmetur, is qui iurauit, debet promissum seruare; alioqui se periurij crimine obstringit; hæredes verò, & cæteri non debent promissis stare, & promissa persoluere, quia nullo se iurifurandi vinculo alteri obligarunt, & iurifurandi vinculum ad hæredes non transe.

Dux sunt opiniones: **Prima** affirmat iurifurando ita contractum confirmari, ut non solum is, qui iurauit, periurij crimine incurrat, si promissa non seruet, sed etiam contractum valere, ita ut hæredes debeant stare rebus contractis, & ita stare, ut si is qui iurauit, vel eius hæres aduersus contractum aliquid efficiat, irritum sit, & inane. Ita opinantur teste ipso Couarr. in cap. *Quomodo de pactis. par. 2. §. 1. num. 7.* Ioan. Monachus, Io. Andr. Archidiaconus, Ioan. Calderinus, Ioan. Lignanus, Fericus, Abbas, Petrus Ancharanus, Ioan. Imola, *Glossa*, Bartholus, Baldus, Cynus, Alciatus, Curtius iunior: immo ait Abbas hanc sententiam esse communem; idem etiam testatur Couarruias in cap. *Quomodo pactum de pactis, in sexto. par. 2. §. 1. num. 7.*

**Secunda** opinio docet contractum iurifurando solum confirmari, ita ut is, qui iurauit, debeat præstare promissum, alioqui periurij scelere se polluet: sed si violato iurifurando rem contra conuentum, & pactum alteri dederit, donatio consistet. Item eius hæredes non oportet conuenta seruare, nec ipse, qui iurauit, debet præstare promissa, si iurifurandum legitima au-

thoritate relaxetur. Ita sentiunt Antonius Butrius, Ioannes Faber, Cumanus, Fortunius, Iason, Igneus, quos refert Couarr. loco citato. At prima opinio cum sit communi Canonici juris interpretum, immo legum etiam Doctorum consensu recepta, amplectenda est: mihi enim verior apparet, remque vnico exemplo ex ijs, quæ paulo ante proposui, declaro. Donatio absque insinuatione facta iure ciuili rata, & firma non est; eam tamen iurifurandum confirmat hoc sensu, quod is qui iurauit, non solum ut iurifurandum seruet, donare debet, quod promisit; alioqui periurij culpam contrahit; sed si non donet, eius hæredes sunt ad donandum compulsi, & is qui iurauit, repetere rem donatam iure non potest, licet iurifurandum Ecclesiæ auctoritate relaxetur, quoniam donatio iurifurando firmata subsistit, & vim habet.

**Sextò quæritur**, Quo pacto, cum quis iurat se soluturum vsuras, iurifurandum promissionem confirmet, quæ alioqui, si simplex, & nuda tantummodo fuisset, nihil penitus valuisset? cum tamen paulo ante in tertia Regula Bartholi communi omnium sententia recepta dictum sit; Contractum in odium, & poenam eius, cuius gratia fit, lege interdictum, non confirmari iurifurando. Ratio quæstionis est, quia promissio simpliciter facta vsurario, latroni, hosti, tyranno ob metum mortis, aut ei, qui vexat iniquè, irrita est, & inanis, ergo nec iurifurando constabilita sit rata, & utilis, quoniam iurifurandum firmare non potest id, quod est alioqui irritum, & inane. Præterea, Regula iuris præcipit, ut id, quod alteri accedit, vim & naturam sequatur eius, cui accedit ea. *Accessorium de regul. iuris in 6. & L. cum principalis. ff. de reg. iuris.* ergo si iurifurandum promissioni accedit, quæ irrita est, & infirma, irritum erit. Nec obstat, quod iurifurandum contractus confirmet, qui alioqui non iure subsisterent, ut patet ex quæstione proxima: hoc, inquam, nihil impedit, quoniam ut iam dixi, iurifurandum confirmat contractus, quos ius ciuile non probat: sed ius Canonicum constituit, ut eiusmodi contractus iurifurando firmati, vim habeant. At cum quis latroni promittit se ei centum daturum, ne ab eo occidatur, nulla est iure naturali promissio, ergo non potest iurifurando firmari.

Caietanus 2. 2. q. 89. a. 7. in respons. ad tertium, de hac quæstione disputans, multa dicit, sed reuera quæstionem non soluit: sicut nec Sot. lib. 3. de iust. q. 1. a. 7. in 3. argumento, propositis argumentis aptè respondet: quoniam uterque auctor tanquam certum concedere videtur, quod mihi non solum incertum, & dubium, sed fallum etiam apparet. Fatetur enim illi eiusmodi promissionem simplicem, esse per se irritam, & inanem. Caietanus nullam esse promissionem opinionatur: quoniam fit, inquit, promissio homini, & cum ei sit inutilis, quia restituere debet, si ei promissum soluat, nullius est momenti. Sed hoc merito Sotus confutat; satis enim est, si is qui promittit, in promittendo bene agat, si quidem tunc bonum iurat. Sotus verò censet irritam esse per se promissionem quoniam is, cui fit promissio, extorquet eam, & cogit alterum promittere, At nec hoc satisfacere alij videtur, quoniam etiam is male facit, ceterum qui promittit, bene agit: quare si promissio irrita est per se, ut illi volunt, non video quo pacto iurifurando

Fando firmetur. Neque enim iusiurandum confirmat, quod est per se, hoc est iure naturali irritum, & inane. Arbitror itaque dicendum eiusmodi promissionem, quantum est ex iure naturali, non esse irritam, quoniam est vsurarius, vel latro turpiter promissum exigit, & turpiter ratum, & acceptum habet; tamen qui promittit, haud malè promittit: nam promittit, ut seipsum ab iniqua vexatione liberet, & ut salutem, & vitam tueatur, & seruet. Cum deinde promissum exoluit, non peccat, quoniam peccatum non est in eo, quod fidem datam seruet, & quod promissa soluat. Solum igitur delinquit vsurarius, vel latro, tùm in exigendo promissum, & id ratum habendo; tùm in accipiendo solutum. Vnde cum huiusmodi promissio simplex irrita non sit iure naturali, & alioqui rata esset, & firma, si iura humana, ciuilia, & canonica eam ratam, & acceptam haberent, iureiurando confirmatur, quia ius Canonicum statuit, ut iusiurandum seruetur, cum sine interitu salutis seruari possit. Quare simplex promissio vim non habet, quoniam ius humanum noluit, ut haberet ad odium, & poenâ eius, qui turpiter, & iniquè exigit: firmata verò iureiurando subsistit, quia nullum est ius humanum, quod eam inutilem, inaneque reddat. Est autem hoc censurata, & firma, quod is, qui iurauit, debet promissum exoluere, nisi eius iusiurandum Ecclesiæ auctoritate relaxetur: relaxato tamen iureiurando, liber est ab obligatione, quam soluere debebat, ut cum Abbate docet Couarr. in cap. Quamuis de pactis, in 6. par. 2. §. 3. n. 2. & licet soluerit, ne peritius esset, potest solum repetere; quoniam non iurauit, se non repetiturum. **Dices:** Quid si iurauit se nunquam soluturum? **Respondeo,** tunc necesse esset petere ab Ecclesia eiusmodi iusiurandi relaxationem, ut colligitur ex cap. 1. de iureiuran. **Institis:** Quid si iurauerit, non se petiturum iusiurandi absolutionem? **Respondeo,** nihilominus posse petere, quoniam tale iusiurandum bonos mores euertit, ut annotauit loco citato, Couarr. **QVAERIS** causam, cur iura statuerint, ne simplex promissio vim habeat, & tamen habeat iureiurando firmata? **Resp.** negari non posse, quin etiam iure humano decerni queat, ut eiusmodi promissio iureiurando etiam firmata non valeat, quemadmodum iure quoque humano posset constitui, ut ipsa simplex promissio vim & firmamentum haberet, sicut iure naturali rata, & firma habetur: id enim meretur is, qui turpiter promissionem extorquet. Sed ius Canonicum ob cultum, & venerationem iuriurando debita noluit promissionem iureiurando firmatam irritam reddere, sed voluit ut is, qui iurauit iusiurandum seruet, aut relaxationis beneficium impetret, aut si promissum exoluerit, officio Iudicis repetat; & ita iusiurandi cultus debitus retinetur, & sic promittentis bono consulitur, & peccatum exigentis turpiter, & iniquè iusiurandum, debite punitur. Vnde Regula iuris in c. Accessarii, De reg. iuris in 6. & Regula in l. Cum principalis, ff. De reg. iuris, ubi dicitur: *Cum principalis causa non consistit, nec ea, quae sequuntur locum habent:* nihil obstat, quia iusiurandum, quando principali accedit, contra, aut præter leges ciuiles, vim habet, principale non itè: ut cum communi doctorum sententia docuit Couarr. loco citato.

Septimò quaeritur, An iusiurandum ex animi perturbatione, nimirum ira, & tristitia interpositum in promissis sit alicuius momenti? De qua questione Abb. in c. Sicut ex litteris, de iurein. Si. de am. 4. q. 9. Angel. iura. 5. n. 8. & Io. Andr. Antonius, & ceteri in c. Sicut ex litteris, de iurein. Si perturbatione rationis usum non adimat, iusiurandum vim, & locum habet, quamuis facilius Ecclesiæ auctoritate relaxari queat. Cuiusmodi est iusiurandum, quo quis in naufragio, belli, pestis, & hostium periculo Deo promittit, ac iureiurando confirmat se aliquid facturum, si liber, & saluus euaserit: cuiusmodi etiã est, cum quis graui infirmitate pressus, aut calamitate deiectus aliquid iurando promittit.

Octauò quaeritur, An iusiurandum sit ratum, & firmum, quod cum poenae adiectione interponitur, & propterea poenale vulgo vocatur: ut si Titius iuret se certam pecuniam quantitate loco elemosynæ in usum pauperum daturum, vel quippiam aliud facturum, si in certum peccati genus incidere? **Respondeo,** eiusmodi iusiurandum vim habere. An imaduertendum tamen est, posse dupliciter adhiberi: Primum, ut si iuret quis nunquam se certum peccati genus commissurum, & deinde iuret similiter se elemosynam pauperibus erogaturum, si in illud delicti genus incurrit. In quo duplex est iusiurandum, ut constat: prius enim est absolutum, alterum est cum poenae adiectione: nam primum iurat Titius se nunquam certum peccatum facturum; deinde verò, se daturum elemosynam, si in illud incidere peccatur. Altero modo potest eiusmodi iusiurandum interponi cum adiectione poenae tantummodo; ut si Titius iuret certam elemosynæ quantitate se pauperibus elargiturum, si hoc aut illud peccatum commiserit, Non enim iurat se id peccati non admittiturum: siue primo, siue secundo modo iusiurandum interponatur, vim habet, ita ut iuras seruare id debeat. Sed si primo modo quis iuret, peritius est, tum si in peccatum incurrat, tùm etiam si in peccatum lapsus poenam non soluat. Si verò secundo modo iuret, non se peritij scelere deuincit, si peccatum admittat, sed si peccato contracto poenam promissam non perferat. Hoc loco quaeri poterat, an poenale iusiurandum, quo quis promittit, si in certum peccati genus incidere, Religiosorum institutum suscipiam: auctoritate Episcopi, vel alterius relaxari, commutari iue queat; sed postea hanc quaestionem commodius disputabo in hoc lib. cap. 10. q. 3.

Nonò quaeritur, Quo pacto iusiurandum, quod sub conditione adhibetur vim habeat? **Respondeo,** huiusmodi iusiurandum conditionale vocari, quoniam cum conditione interponitur. Notandum est ex Glossa in cap. quemadmodum, de iureiuran. plerumque in iureiurando conditione tacite contineri, & intelligi, quales sunt multae conditiones, nimirum hæc, si Deo placuerit; itè hæc, si Romano Pontifici, aut Principi, aut Superiori Praefecto acceptum, gratumque fuerit; hæc etiã, si res in eodem statu permanerit; item si mihi à promittentibus cum iureiurando fides seruabitur; eadè: si à me petatur res honesta, & qua fieri commodè possit. At verò iusiurandum non dicitur cum conditione, quia tacite contineat vnã, aut plures ex his conditionibus suprapositis, & alijs similibus: eas enim conditiones iusiurandum suapte natura re-

tura requirit: quo modo etiam legata non dicuntur conditionalia, quia tacite conditiones habeant, quas per se ipsa deposcunt. Dicitur itaque iusurandum cum conditione interpositum, quādo quis iurando promittit conditione expressim adiecta; ut si iurando promittas mihi te daturum centum, si cras pluerit, aut si filius tuus ex Asia saluus redierit. Et huiusmodi iusurandum ante conditionem impletam vim non habet; habet tamen impleta conditione. Hoc autem locum habet, quando totus conditionis eventus impletur: fieri enim potest, ut conditio duas, aut plures partes contineat, ut si iures, Dabo tibi centum, si filius meus ex Asia sanus redierit, non mihi te obligasti, si redierit infirmus. Si tamen iusurandum ob duas causas adhibeatur, vim habebit etiam si vnus tantum illarum effectus acciderit: Ut si iures te Romam iturum, ut fratrem iniustas, & sanctorum Apostolorum lumina venereris, & tua peccata redimas, tamen si frater tuus in Vrbe decesserit, obligatus es Deo ad eundem Romam, quoniam te iureiurando ei obstringisti ob duas causas, quarum altera consistit, & permanet. Animaduertendum est etiam iusurandum cum conditione interponi, siue conditio per particulam, si, siue per particulam, ut, siue per aduerbium, quando, siue per aliquid aliud, quod idem significet, exprimitur: Velut si iures te mihi centum daturum, si filius tuus ex morbo conualuerit, vel quando conualuerit, vel ut conualescat.

Decimo queritur, An iusurandum metu extortum valeat? Hanc questionem diluit l. c. 11. q. 12.

Vndecimo queritur, An matrimonium metu quidem contractum, sed iureiurando firmatum vim habeat? Hanc quoque questionem tractaui, quæst. 17. eiusdem libri, & capit. 12.

Duodecimo queritur, An sponsalia per metu extorta, sed iureiurando firmata subsistant? Ad eam quoque respondi supra dicto lib. & cap. q. 14.

Decimotertio queritur, An iusurandum per procuratorem, vel nuncium præstari queat? Teste Couarr. in cap. *Quamuis pactum, de pactis in sexto. par. 1. §. 4. num. 7. & 8.* Baldus sentit in feudo, cum quis fidem dat, qua promittit se futurum fidelem ei, a quo feudum accipit, iusurandum per procuratorem adhiberi non posse. At verò communi Pontificij iuris interpretum sententia receptum est, iusurandum interponi posse per procuratorem ad id speciale mandatū habentē, ut colligitur ex cap. *Nullam, de iuram. calumnie in sexto. sic Glossa, ac Doctores; & ex l. 1. §. 1. in fin. de statu Regular. in 6.* Si obijcias; in iusurandi obligatio est persona, quia est vinculum & nexus, qui ex religione manat, ac surgit; ergo nequit per procuratorem, vel nuncium præstari. Respondeo iusurandi vinculo non obligari procuratorem, vel nuncium, qui non suo, sed nomine domini iurat, sed obligari dominum, qui per procuratorem, vel nuncium iusurandum præstat: & proinde iusurandi obligatio non nisi dominum iurantē obstringit, ac tenet. Sed questio est, an iusurandum possit per procuratorem interponi speciale mandatū habentē etiam in ijs causis, in quibus lex proprium iusurandum requirit? Alexander teste Couarrua affirmat etiam tunc posse per procuratorem iusu-

randū præstari. Sed verius est quod docet Couarr. loco citato, quando actus est talis, ut per aliū fieri queat, iusurandum potest per procuratorem adhiberi, ut est iusurandum, quo promittitur fidelitas erga alterum: iusurandum, quod in contractu, vel lite interponitur: quando verò contractus est eius conditionis, ut per alium fieri nequeat, non potest iusurandum per procuratorem interponi, etiam si peculiare ad id mandatū habeat: cuiusmodi est iusurandum, quo quis testificari debet: quod proprium esse eius, qui testificatur, necesse est: & de hoc loquitur cap. *Liter. de testibus, ut in eo cap. Abbas, & Petrus Ancharanus tradiderunt. Item* quando lex, vel Canon requirit expressim, ut quis propria manu iuret, siue iusurandum præstet, tunc nemo iure potest per procuratorem, vel nuncium iurare, ut Couarr. testatur.

### Cap. VIII.

*Quo pacto iusurandum, quo quis se alteri obligat, interpretari debeamus.*

Primo queritur, An iusurandum interpretandum sit iuxta iurantis mentem, & sensum, si is, cui iusurandum præstatur, aliter accipiat? Respondeo, ex communi omnium sententia, in foro conscientie semper esse accipiendum iuxta iurantis mentem; ut colligitur ex cap. *Quoniam que. 22. q. 5. & ex Gratiano in c. Qui peierare, eadem causa, & quæst. §. Ex his omnibus, & ex cap. 1. De iuram. in 6.* In foro tamen iudiciali semper est iudicandum secundum communem sensum, quem reddunt verba ipsa, & secundum vtriusque iuris Regulas, & communem hominum usum, ut constat ex c. *Literis, de sponsalib. & ex l. Liberorum. §. Quod autem Cassius. ff. De legatis 3. Si queras, quid sit agendum, cum dubitamus, iurauerit necne quis; item cum ambigimus, habuerit necne voluntate sese iureiurando obligandi? Angel. iuram. 5. n. 10. censer, interpretari nos oportere, eum nullo iusurandi vinculo teneri. At Silu. iuram. 4. q. 7. verfic. *Quartum si sumus in dubio, Archid. Abb. & Rosellā sequutus affirmat eiusmodi hominē iusurandum obseruare debere, ne peccati periculo sese obijciat, quamuis si non seruet poena periurij puniendus non sit.**

Secundo queritur, An cū quis mihi imperauerit, ut certū puerulū apponam ad ædes alterius, & ego alteri tradā, ut ipse apponat, iurare tuta conscientia possim me non apposuisse? Quod est querere generaliter, an iusurandum, quo iuramus non fecisse nos aliquid, accipiendum sit in eum sensum, quo is aliquid fecisse censetur, qui non solum verè fecit, sed & qui fieri alteri mandauit hoc est, qui non per se ipsū, sed per alium fecit? Respondeo, iusurandum non solum esse interpretandum secundum communem sensum, quæ verba verè significant, sed etiā secundum communē eum sensum, in quo Canones, Leges, & Iura voces solent accipere: & secundū leges, & Canones aliquis fecisse dicitur, non solum cū per se ipsum verè fecit, sed etiā qui per aliū fecit, is enim iuris fictione fecisse censetur. L. 1. §. *Dei esse. ff. De vi, & vi armata, vbi dicitur: Dei esse is etiā videtur, qui mandauit, vel iussit. Et l. Itē apud Labeonē, §. Fecisse. ff. De iniurijs. habetur: Fecisse vim conuinci, non tantūm is videtur, qui vociferatus est, sed is quoque, qui concitauit alios ad vociferationē, vel qui summus, ut vociferentur. Hæc ibi*

lex. Ideo periurij crimen admittit is, qui puerum ad aedes alterius per alios apposuit, & tamen iuravit se non illum apposuisse.

**Tertio** queritur, Quid dicendum sit, quando Episcopus aliquis facultatē concessit Clerico, ut absens in studia literarū incumberet, quem absentem ad certū diem redire iussit, Clericus tamen iureiurando creditori suo promiserat non recessurum se, antequā ei debitum solueret: quo pacto eiusmodi Clerici iusiurandū interpretari debeamus? Nam si ad diem Episcopi iussu constitutū non redeat, sui Episcopi præceptū violat: si verò Episcopo parens reuertatur, iusiurandū, quo suo creditori iuravit, non seruat. **Respondeo**, si res alienam contraxit ob aliquid ad literarum studiū necessariū: eo ipso videtur sese creditori obligasse, tacito Episcopi consensu: nā vno concessa, cōcedūt omnia, sine quibus illud effectū habere non potest. *cap. Præterea, & cap. Prudentiam, de offic. deleg. & L. Ad rem mobilem, & L. Ad legatum, ff. De procuratoribus.* Vnde Clericus de loco recedere iure non potest, proindeque iusiurandū seruare debet. **Secus** esset, si absque permissu Episcopi, ad literarum studia se conferret, aut si absq; necessitate, vel causa legitima debitū contraheret. Idem iuris est, si pater filium absentem reuocet, qui iureiurando creditori promiserat nō recessurum se intra certum tempus. Idem dicendum de famulo, procuratore, & de quolibet alio alterius potestati subiecto. *Angel. iuram. 5. n. 27. Sil. iur. 4. q. 16. ex Ioan. Andr. & Abbate.*

**Quarto** queritur, Quā ratione iusiurandum, quo alteri fidē damus, interpretari oporteat, si is fidem nobis datam non seruet? De hac questione *Sil. iuram. 4. q. 13. Respondeo cum Abbate in c. Peruenit. 2. de iureiur.* cuius sententia in hac parte est communi consensu recepta: **Quandocumq;** duo iusiurandi vincula, & obligationes ad se inuicem referuntur, si vna desit, altera quoq; finitur, & cessat. Sit exemplū: Iurādo promisi tibi equū, & idcirco tu mihi iureiurando promissisti centū: si ego promissum non seruo, tu quoque ab obligatione liberaris. Et hoc modo intelligitur, id quod habetur in *L. Si conuenit. ff. Pro socio & cap. Si infidelis. 28. q. 2. & L. Cum proponis. C. De pactis. L. Si infirma. ff. De infirmo testam.* Idem iuris est quando cumque tibi aliquid sub conditione promisi: ut si tibi me daturum centum promiserim, si Romā ieris, te non eunte nihil dare debeo. **Quando** verò duæ obligationes minimē ad se inuicē referantur, tunc etiā si vna defuerit, non idcirco altera extinguitur: Ut puta ego tibi promisi centū, & tu nō hac de causa, sed simpliciter mihi promissisti quippiā te facturū, etiā si ego non dederim, debes tu id præstare, quod promissisti, quia te mihi simpliciter obligasti. Ex quo perspicitur, quemadmodū interpretari possimus promissiones iureiurando stabilitas, quib; duo homines alter alteri se solent inuicē obligare. Titius (exempli gratia) promittit Caiō, & iureiurando confirmauit se in Religionē ingressurū, si Caius ingrediatur: & Caius itē iurando promittit Titio: se idē facturū, si ipse Titius id fecerit: Vidēdū est tūc, an duæ huiusmodi promissiones, & obligationes ad se inuicē referantur, an nō. Si referantur, vno Religione suscipiente, debet alter quoq; idem efficere

Si minimē, etiā si vnus promissum non præstet: non ob id alter ab obligatione liberatur.

**Quinto** queritur, An iusiurandum vnus ad hæredem eius, vel successorē transmittatur? **Respondeo** ex communi omnium sententia, quod attinet ad iurantē, iusiurandum ad hæredem, & eius successorē non transire: nam iusiurandum est personæ vinculum, & obligatio, vnde vltra iurantem minimē extenditur. Cives, aut Collegij Canonici iureiurando se, & successores alteri obligantur, si ij, qui iurauerunt, promissum non præstent in periurij crimen incurrunt, successores non item. Sic Ioan. Andr. *cap. vlt. De sepul. & Abb. in c. Veritatis, De iureiur. num. 2. & 3. Couarr. in c. Quamuis de pact. in 6. par. 1. §. 5. num. 4. & 5.* Nihilominus tamē successor, vel hæres potest aliunde obligationē cōtrahere, vt si pater iurādo promittat se aliquid alteri daturū, quod ante mortem præstare non potuit, filius eius iusiurandi vinculo non tenetur, sed ratione rei à patre acceptæ ei obligatur, ita vt dare debeat. Similiter Cives iurarūt se diem certū tanquā festum veneraturos, & seruatuos, successores nullo sunt iusiurandi vinculo adstricti, colere tamē debent illū diem, & vt festum seruare, si vsu, & cōsuetudine introductū sit, vt tanquā festus dies ille ab omnib. habeatur. Ex his fit, vt quamuis laicus ratione iusiurandi, quo se obstrinxit, cōueniri queat coram Iudice Ecclesiastico, vt definitur in *c. vlt. de foro compet. in 6.* non tamen eius hæres, quia iusiurandū ad hæredem non transiit. Item, iuravi non repetiturum me à te certam rē, poterit eam à te meus hæres repetere, quia non iurauit ipse, & poterit eam repetere ab hærede tuo, quoniam ei iusiurandum non præstiterit.

Quod verò attinet ad successorem eius, cui est aliquid iureiurando promissum, iusiurandum ad successores transfertur. Ex quo efficitur, vt quando quis fidem, & obedientiam promittit alteri expresso nomine Dignitatis, in qua est constitutus, aut muneris, & officij, quo fungitur, eo ipso, cæteris in ea Dignitate, & munere succedentibus promississe censeatur. Secus verò est, si promittat expresso tantummodo nomine proprio personæ: tunc enim dēdū fidem, & obedientiā iureiurando promittere successorī debet.

**Quæres**, an vt iusiurandum, quod successoribus præstat, illorum gratia adhiberit esse inter præmura, necesse sit, vt iusiurandum præstetur personæ in Dignitate cōstitutæ, & expressē eius successoribus? **Respondeo**, teste Abbate in *c. Veritatis, de iureiur.* Goffr. Hostiensis, & Glossa senserunt non esse gratia successorum interpositum, nisi expressim successores in iureiurando ponatur in hac formulā. Iuro tibi. N. & tuis successoribus. At verius est quod docuit Abbas, cuius opinio communi consensu est comprobata: si nomen Dignitatis exprimat, siue successorum expressim mentio fiat, siue non, iusiurandum successoribus esse præstitum intelligitur.

**Obijcies**, quod dicitur in *capite Longinquitate. 12. questione. 2.* libertos Ecclesiæ Pontificis successoribus debere suæ conditionis professionem facere. Ex quo etiam fit, vt successorī feudi, vel emphyteosis directum dominiū habētī feudatarius, & emphyteota iusiurandū præstare debeat.

alioqui periurus non habetur, si debitam pensionem non soluat. **Respondeo**, feudatarium, & emphiteotam iusurandum repetere, & prestare successoribus in dominio feudi, vel emphiteosis, ut recognoscat beneficium feudi, & emphiteosis, & nouum dominum; alioqui necessarium non esset; nam eo ipso, quod iusurandum adhibitum est gratia veteris domini, praestitum quoque non domino censetur.

**Sexto** quaeritur, An iusurandum interpretari possimus, ita ut sit cum detrimento, & incommodo alterius? **Respondeo** ex communi omnium sententia, minime, ut intelligitur ex cap. *Sicut nostris, de iureiurando*, Siluest. *iuram.* 4. q. 14. qui citat Ioannem Andr. Goffr. Hostien. Tancre. & Glosam. Utamur exemplis. Canonici iurauerunt, si quis eorum crearetur Episcopus, facturum se certum quid, quod cedit in detrimentum eius, quod pertinet ad Episcopi dignitatem: iusurandi vinculo minime tenentur. Idem iuris est, si iurent Cardinales, eum qui ex ipsorum Collegio in Romanum Pontificem fuerit electus, facturum aliquid, quod Pontificiam dignitatem non decet. Idem dicendum, si alter coniux castitatem iurando promittat; exigere enim debitum non poterit, sed reddere tamen debet. Pari ratione, qui alienae est potestati subiectus, si aliquid iurando promittat, quod in eius, cui subest, damnum, & incommodum cedat, vim iusurandi non habet. Item, iurauit non patefacturum arcanum mihi commissum, iureiurando non teneor, si id fuerit alteri noxium; & proinde tuta conscientia patefacere possum ijs, qui prodesse queunt, non obesse. 2. 2. *quest. 5. cap. Hoc videtur*. Idem de similibus iudicandum, ut si iurauit me tibi auxilium daturum, quod si dederò, mihi, vel alijs nocebo, non teneor.

**Septimo** quaeritur, An cum quis iurat seruaturum se statuta certi Collegij, vel comunitatis, iusurandum ad futura quoque statuta protendi censeatur? **Respondeo** ex communi sententia, quam habent Abbas, & ceteri in cap. *Clericus, de iureiurando*, & Siluest. *iuram.* 4. q. 13. si cum iurat, expressim iuret se seruaturum statuta condita, iusurandum ad futura minime trahendum est: si verò simpliciter iuret seruaturum se statuta, aiunt Ioan. Andreas, & alij, iusurandum futura quoque complecti. Sed verius est, quod Antonius Butrius, & Abbas tradiderunt, nisi iurantis mens ad futura sese fundat, ac porrigat, iusurandum ea non continere. Nam, ut ait Abbas, iusurandum ob metum, & periculum periurij, & ob detrimentum, quod sequi potest, stricti est iuris, & interpretationis, ita ut non comprehendat id, quod verba late significant. Praeterea, sic iurās, nihil de futuris cogitauit, quae si eius memoria, & cogitationi occurrerent, verisimile est ipsum ea non iuraturum fuisse, cum futura sint nobis incerta, & dubia, & graues, molestos, ac difficiles soleant interdum exitus habere.

**Octavo** quaeritur, An cum quis iurat se statuta comunitatis seruaturum, ea seruare debeat, si in defuetudine abierint? **Respondeo**, minime; nam iusurandum interpretari nos oportet de statutis, quamdiu fuerint in more posita; at verò in defuetudine tunc abeunt, quando aut tota commu-

nitatis, aut saltem maior pars ea non seruat. **SI ROGES**, quid de ijs iudicandum sit, qui in Collegium, Ciuitatem, aut Communitatem admittuntur, & tamen iurant se statuta seruaturum? **Respondeo**, eorum iusurandum esse interpretandum eo sensu nimirum, iurare se seruaturum, prout sunt in more posita, hoc est, prout solent à toto Collegio, vel maiori parte seruari.

**Nono** quaeritur, Quid dicendum sit, quando Titius debitor pecuniae iurauit se Caio creditori eam ad certum diem soluturum; postea verò soluendo non est, an fuerit in iurando periurus? **Respondeo**, si cum iurauit, prauidit se soluendo non fore, periurium admisit; quia promisit iurando, quod facturus non erat, si autem verosimiliter credit se ad praescriptum diem posse promissum exoluere, periurus non fuit: nec tamen modo promissum prestare debet, quia soluendo non est. Siluest. *iurament.* 4. *quest.* 24.

**Decimo** quaeritur, Quid sit dicendum, quando iurando promisi me tibi daturum decem, & tu mihi alia decem debes, an debeam tibi decem soluere, an vero liceat mihi decem, quae tibi promisi, retinere ob alia decem, quae tu mihi debes? quod est quaerere, fasne sit in iureiurando uti compensatione, siquidem compensatio est quaedam per iuris fictionem debiti solutio: quonia ut dicitur in L. 1. ff. *De compensationibus, compensatio est debiti, & crediti inter se contributio*. Hanc quaestionem late tractat Couarr. in cap. *Quamuis pactum, de pactis* in 6. p. 1. §. 4. num. 9. Dux sunt opiniones: Prima negat licere nobis in iureiurando compensatione uti, eo quod iureiurando obligatus id prestare debeat, ad quod faciendum se alteri iureiurando deuinxit. Sic Abbas in c. *Ad nostram, de iureiur.* in 3. secutus Innocentium, Hostiensem, & Ioannem Andream: immo ait esse Canonici iuris interpretum sententiam. Secunda opinio affirmat, posse nos in iureiurando uti compensatione. Ita Bartolus in L. *Amplius, ff. Rem ratam haberi*, Siluest. *iurament.* 4. q. 27. Tabien. *iurare.* q. 24. sic etiam Bal. Angel. Cuman. Ioan. Faber, Platea: & ipse Abbas sibi contrarius in cap. *Cum dilectus, de ordine cognit.* & in cap. *Cum inter, de exceptio.* Alex. *consil.* 12. lib. 2. & alij, quos refert Couarr. loco praedicto. Quae mihi sententia probabilior apparet. Nam iusurandum, quo tibi promisi me daturum decem, videtur intelligi tacita conditione, si tu mihi alia decem solueris, quae debes. Si tamen me tibi iureiurando obligauerim expressim, & simpliciter ad decem tibi dandum, etiam te nihil mihi soluente, tunc in iureiurando compensatio locum non habet: Et hoc modo intelligitur id, quod colligit prima opinio ex cap. *Ad nostram.* 1. *De iureiurando*.

**Vndecimo** quaeritur, In quem sensum accipienda sint ea praepcepta, quibus plarunque Praelati multa solent iuratis subditis imperare his verbis: (*Sub poena praestiti iuramenti*) quibus verbis significatur subditos periurij culpam contracturos, nisi imperata exequantur? Hanc quaestionem proponit, & diluit Couarr. in c. *Quamuis de pact.* in 6. p. 1. §. 7. n. 12. *ad fin.* **Respondeo**, huiusmodi praepcepta, siue mandata non esse ita semper accipienda, ut periurij culpa admittatur. Solent enim Academiarum, & Vniuersitatum Rectores saepe praecipere, ut Scholastici certae Congregationi, Missarum



sacrificio, iactura cōcioni, publicæ, & solēni supplicationi intersint sub pœna præstici iuramenti. Non est (inquiunt) Maio. 3. d. 39. q. 4. *vers. contra quar. tam conclus. & Couar. loco citato.* Ioan. Driedonium sequuti: verisimile, eorū mentem esse, vt Scholastici periurij sint rei, si mandata non fecerint. Credendum est potius eos hoc tātummodo voluisse, vt Scholastici iusurandum, cuius vinculo sunt adstricti, ad memoriā reuocent, & ne illud contēnendo violēt. Ita vt solūm ij lethali se crimine, & scelere obstringāt, qui sciētē imperanti non parent, quōd iussa despiciant, & negligant.

Duodecimō quæritur, An si duo, vel plures cōpromiserint, vt intra certū diem causā definiatur, & iurauerint se obedituros sententiæ arbitri delecti, ac deinde compromissi dies prorogetur eorum consensu, iusurandum quoque intelligatur prorogatum, etiā si expressim denuō non iurent? Hanc quæstionē disputat Couar. *in c. 22. us. de pass. p. 1. §. 1. n. 6.* Duz sunt sententiæ: **Prima** censet, eo ipso iusurādū prorogari: vnde si sententiæ non paruerint, periuri censentur. Sic Cardinalis, & quidā alij, quos citat Couar. **Secūda** opinio docet non eo ipso, iusurandum extēdī, nisi de integro repetatur. Ita Sozinus, Baldus, Decius, quos sequitur Couarruias: & hæc sententiā mihi verior apparet, nam ea congruit maximē cum eo, quod definitum est *in cap. Clericus, De iureiuran.* vbi decernit Pontifex, Clericum, qui iurauit se statuta edita in Ecclesia sua seruaturum, promittendo per idem iusurandum statutū postea editum fideliter obseruaturum, licet præstare debuere promissum, nō tamen vi præstici iurandi ad id fuisse obligatum. Et Abb. Antonius Butrius, & alij ibi annotarunt, iusurandum ad noua, aut futura non protendi. Vnde si famulus cum Domino conuenit, & conuentionem primō iurauerit, & postea id domino exigente iusurādū primū ad alia extenderit, nō extenditur, vt ait Abbas *in cap. Clericus de iureiuran.* Archidiaconū secutus **Item**, si quippiam aliquis domino iurādo dixerit, & deinde aliud per iusurādū antiquū mendaciter affirmauerit, mendax est, periurus non itē, vt idem Abbas ait. Præterea si Notario, vel Iudici debitor facultas, vt instrumentum, vel syngrapham, aut Chirographū extendat ad alia, non, eo ipso, iusurandum ad alia protenditur, licet instrumentum vnā cum iureiurando ad alia trahatur, vt docent Antonius, & Abbas *c. Clericus de iureiuran.* nisi in his omnibus denuō iurauerit, aut nisi ei expressim dicatur, *Iura per primū iusurādū*, hoc est, per formulā in primo iureiurādo cōceptā, aut, *Iura per primū iusurādū*, sicut per sacrā rem, vt ait Abbas *loco citato.*

Decimotertio quæritur, quid dicendum sit, quando Titius debitor iurauit soluturū creditori Caio centū intra mensem, deinde Caius spontē tempus solutioni præstitutum prorogauit, An Titius maneat semper Caio obligatus vi iusurandi primo adhibiti, ita vt si ad tempus prorogatum, non soluat debitum Caio, periurij crimine teneatur? Cardinalis sensit iusurandum non extendi: at Baldus, Felinus, Decius, Iason, quos refert, ac sequitur Couarruias *in cap. quamuis, de pass. in 6. par. 1. §. 1. num. 6.* censent iusurandum prorogari vnā cum solutione debiti ad tempus di-

lati; quoniam licet tempus differatur, eadem tamen manet obligatio, ergo manet eadem vinculi qualitate affecta. nec pro Cardinale facit id, quod dictum est *in c. Clericus*, quoniam ibi solum decernitur, iusurādū antiquum ad alia non trahi: sed in hac causa iusurandum in eadem materia, & obligatione, in qua erat initio interpositum, perseverat.

Decimoquarto quæritur, An interrogatus simpliciter debitor in iudicio, debeat actori centū, & verē debeat quinquaginta, non centū, iure possit negare, centū debere, & an sit periurus si totam summam neget? Eadem quæstio est, si de fundo interrogetur, & neget esse suū, cū tamē pars fundi sit ipsius, & pars sit actoris: Eadem itidem quæstio est, si rogatus possideat necne domum, neget possidere, eo quod non possideat solus, sed possideat eam vnā cum alio, hoc est, eo quod habeat rem communem, non propriā: De hac quæstione Abbas *in c. 1. de plus petitionibus, uos. 15. Felin. cap. nam concupiscentiam, de constit. Couar. lib. 1. de var. resal. c. 2. n. 5.* Duz opiniones inuenio, vnā est Bartholi *in l. si qui ducenta, §. verum, ff. de reb. iud.* vbi docet iure negare nō posse totū, quod petitur, sed partē cōiteri debere, & partem negare. Bartolū sequuntur Abbas, Felinus, Alex. Aretinus, Alciatus, & alij, quos citat Couar. quia qui negat totum, negat quamlibet eius partem. Altera sententiā docet tua conscientia posse negare totā summā, quæ petitur, etiā si partem debeat: quam sequuntur Speculator, Decius, Crocius, & alij quos refert Couar. & hæc probabilior videtur: quemadmodum, si quis rogetur an comederit in templo, iure potest negare comedisse, quāuis aliquid comederit: quod etiam docet Abbas: sic etiam si rogetur, an debeat viginti, cum solum debeat decem.

#### Cap. IX.

##### De iusurandi relaxatione.

**P**rimo quæritur, quomodo iusurandi, quod aliqui est ratū, & firmum, vinculum tollitur? **Resp.** quatuor modis: **Primo** Superioris absolutione: Deinde cōmutatione, sive boni maioris, vel æqualis cōpensatione: **Tertio** remissione creditoris: **Quarto** relaxatione Iudicis.

Secundo quæritur, quæadmodū differant hæc, iusurādū vinculu absoluerē, Remittere, Rescindere, Commutare? **Resp.** pōdeō: Iusurādū dicitur relaxari, aut absolui, vel vt Canonici iuris interpretes, & Theologi loqui solent dispensari, cum eius vinculum dissoluitur, & qui iurauit, eo eximitur, ac soluitur auctoritate Ecclesiastici Magistratus, quem Superiorem passim vocamus, nimirum Romani Pontificis, aut Episcopi, aut alterius Ecclesiastici Præfecti. Commutatū verō iusurādū, cū eius vinculu ex vna materia, & re si bi subiecta in aliam trāsferatur. Tunc autē remittitur, cū tollitur volūtatē eius, cuius gratia iureiurando sese aliquis obstrinxit. Vt si iurādo promisti tibi me centum datorum, & tu deinde iusurādū remittas. Rescindi verō, seu etiā Relaxari, hoc est, irritū, & inane reddi, vel vt aiūt veriusq; iuris interpretes, & Theologi, irritari iusurādū dicitur, cū eius vinculu soluitur auctoritate eius in cuius potestate, & dominio est is, qui iurauit

vt si feruus, vxor, vel filius iurādo aliqua promittat alteri in ijs, quæ sunt domini, iurati, vel patris possessi subiecta.

Tertio queritur, An quis auctoritate Romani Pontificis possit iurifurandi vinculo solui? De qua questione, & Abbas, ac reliqui Pontificij iuris Doctores, & Theologi, etiam Summistæ multa docuerunt. Glossa, Abbas, Felin. & alij in c. *Constitutus, de rescr.* l. 1. in l. *vt ff. qui suis sda. cogant.* Cou. in ca. *quamuis pactum, de pacti.* in c. 1. p. §. 3. *Sot. l. 8. de iust. q. 1. art. 9.* Silu. *iuram.* §. 1. Communi sententia receptum est, in iurifurandum, quo id, quod asserimus, confirmamus, relaxationem cadere non posse, vt ait S. Thom. 2. 2. *quæst. 89. artic. 9.* iurifurandum verò, quod promissionem munit, ac firmat, non homini, sed Deo factum, potest auctoritate Pontificia relaxari, cum iusta, ac debita causa subest, ac sine illa non potest. Si verò iurifurandum homini præstetur gratia ipsius, nequit absque eius consensu Pontifex relaxare, nisi iusta, & legitima subest causa. Quæ verò sint iustæ causæ, vt auctoritate Pontificia quis iureiurando soluatur, siue se Deo, siue homini iureiurando deuinxerit, inferius explicabo in 7. q.

Quarto queritur, An alicuius iurifurandi absolutio sit Romano Pontifici referuata, ita vt nullius alterius auctoritate relaxari queat? Caietanus 2. 2. q. 80. *art. 9.* & *Sot. l. 8. de iust. q. 1. art. 9.* asseueranter aiunt omnem iurifurandi absolutioem esse Romano Pontifici referuatam, si sit iurifurandum interpositum in ijs rebus, in quibus votorū relaxatio Romano Pontifici referuatur. Et quoniam quinque eiusmodi vota sunt, nimirum castitatis seruandæ, ingrediendi in Religionem, Peccationis suscipiendæ ad S. Iacobum Compostellanum, & ad limina Apostolorum Petri, & Pauli in Vrbe, & ad Templum Domini Hierosolymitanum: consequens est, vt si quis iurauerit se aliquid horum facturum, eiusmodi iurifurandi absolutio Romano Pontifici referuatur. Tabien. *in verb. iurare, que. 20.* aliter censet, quod attinet ad relaxationem abolitionemque, nullum eiusmodi iurifurandum esse Romano Pontifici referuatam: & proinde Episcopos potestatem ordinariam habere omne iurifurandum relaxandi: *Quoniam,* inquit, *voti vinculum est æquius, quam iurifurandi* teste S. Thoma 2. 2. *quæst. 89. ar. 8.* ergo non, eo ipso, quæ ea quinque vota Romano Pontifici referuatur, iurifurandum referuatam est. Sed certè probabilior est Soti, & Caietani sententia. Nam iurifurandum, quo aliquid Deo promittitur, nihil aliud est nisi votū iureiurando firmatū, ergo si voti relaxatio Rom. Pont. referuatur, consequens est, vt absolutio iurifurandi, quo promissio Deo facta confirmat, ad Romani Pontificis auctoritatem pertineat.

Quæres, an alicuius alterius iurifurandi absolutio Romano Pontifici referuatur? Sotus ait l. 8. *de iust. q. 1. art. 9.* statuta Collegiorum, Scholarum, hoc est, Academiarum, Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum iureiurando confirmata, solius Romani Pontificis auctoritate solui posse. Item, iurifurandum, vt tradit Abbas, in capite *Quoniam, n. 8. de iureiur.* quo se in fines viri obstringunt solus Romanus Pontifex relaxare iure potest. Cuiusmodi sunt meo iudicio Reges, Imperatores, Duces, Marchiones, Comites, supremam

præsertim in temporalibus auctoritatem habentes; Episcopi item, & alij superiores Ecclesiarum Antistites solius Romani Pontificis auctoritate, à iurifurandi vinculo solui queunt. Tale est etiā iurifurandum eorum omnium, qui sunt Romano Pontifici proximè subiecti. Item, iurifurandum, vt idem Abbas ait, quod in rebus arduis, & maxime dubijs interponitur, Romano Pontifici referuatur. Animaduertendum est, iurifurandum aliquando relaxari & remitti indirectò per naturam rationis consequentis: quemadmodum accidere solet, cū aliquis Episcopus, vel Princeps Episcopatu, vel regno priuatur, vel cum quis se publico magistratu, vel munere abdicat: eo ipso iurifurandi vinculo soluntur, qui fuerant illis obstricti. c. *Ad Apostolicas, de sent. & re iud. in sexto.* cū aliquis Princeps excommunicatione à sacris, & piorum hominum consortio arceatur, iurifurandi religione soluntur, quorquot in eius ditione & potestate sunt; quoties statuta Ciuitatis, vel Collegij Superioris Magistratus auctoritate abrogantur, statim à iureiurando absoluti censentur, qui ipsa iurauerunt, vt colligitur ex Glossa in c. *Ad Apostolica, de sent. & re iud. in sexto.*

Quinto queritur, quo pacto cum iurifurandi vinculum sit iuris naturalis, auctoritate Romani Pontificis solui queat; cū non possint auctoritate humana relaxari, quæ iuris naturalis, vel diuini sunt? Hanc questionem c. 1. *qui est de lege naturali, & Diuina dissolui c. 1. q. 4.*

Sexto queritur, An Episcopus possit iurifurandi vinculum relaxare? S. Thomas 2. 2. q. 89. *art. 9. ad 3. duo* videtur docere. Primum, quando dubitatur, vim habeat nec ne iurifurandum, si tunc iustum an iniustum, vile, an noxium ex toto, aut ex parte, posse illud Episcopum soluere. Nec excipit aliquod iurifurandum Romano Pontifici referuatam. Deinde, quando certo constat iurifurandum iustum, & honestum esse ratum, & firmum, *locus* ait, *non habet relaxatio, nisi aliquid melius occurrat, quod ad communem vtilitatem spectet: & tunc absolutio iurifurandi ad Romanum Pontificem videtur maxime pertinere.* Hæc S. Thomas. Cuius sententia est aliqua ex parte obscura, licet eam Sot. l. 8. *de iust. q. 1. art. 9.* Silu. *iuram.* §. 3. Tab. *iurare, q. 20.* illustrare conetur. Sed dicendum est ex communi omnium sententia Episcopi auctoritate posse iurifurandum relaxari in ijs rebus in quibus potest & votū in his enim, vt tradit Abbas in c. *Quoniam, de iureiur. n. 8.* cum ceteris Canonici iuris Doctoribus, non est maior ratio, cur Episcopus possit potius voti vinculum soluere, quam iurifurandi. Deinde, omne iurifurandum, quod quis homini præstetur, sed tamè turpitudine continet ex parte eius, quod illud exigit, vel extorquet, aut ex parte eius cui aliquis iurat, potest Episc. relaxare: quale est, cū quis iurauit se soluturū iurata Doctores in c. *Debitores, de iurei.* Tale quoque est iurifurandum dolo, vel metu extortū; vt cū quis timore mortis, seruitutis, captiuitatis, carceris, tormentorū iurādo promisit latroni, hosti, tyrāno, alicuique iniquæ vexati se aliquid facturū. Insuper, si iurifurandum interponatur in contractu, quo vnus corrahētū est grauitè leges, vt si quis sit deceptus ultra dimidū iusti pretij inuēditioe, vel eptioe, Episcopus verò inferior nō potest iurifurandi vinculo soluere, nisi habuerit Episcopale iurisdic. vt tradit Abbas in c. *Quoniam, de iurei. n. 8.*

Si **QVAERAS**, an causa de iureiurando relaxando solum ad iudicem Ecclesiasticum pertineat? **Federicus consil. 64.** ait, si ex parte eius, cui iuratur, certò & evidenter constet, turpitudinem esse, iudex civilis potest cogere eum, ut iurandum remittat, sicut etiam potest precipere, ut quis seruet iurandum, quo se obligavit: si dubia res sit, causa ad iudicem Ecclesiasticum spectat: idem videtur docere **Abbas in ca. peruenit. 1. de iureiurand. n. 3.** sed dicendum est causam de iureiurando, vel seruando, vel relaxando iuris esse Canonici, & proinde ea quoties in iudicium venit, apud iudicem Ecclesiasticum, non civilem tractari debet, ut constat ex **c. vlt. de foro compet. in 6.** & ex alijs, quæ **ibi Glossa** citat. Fortassis **Federicus**, & **Abbas** solum dicere voluerunt iudicem civilem posse precipere, ut quis, si Laicus sit, iurandum seruet, vel remittat, cum alioqui debet.

Septimò queritur, quæ sint causæ iustæ, ac debite, quibus iurandum relaxari queat? **Respōdeo**, ex **S. Thomæ, 2. 2. q. 89. ar. 9.** & **Abbatis in capit. quanto de iureiurand. numer. 8.** sententiâ, multas esse, nimirum, si turpitudinis in iureiurando, vel ratione materiæ, & rei promissæ, vel ratione eius qui iurandum inique, aut vi, aut dolo, aut metu extorquet. Item, si dubitetur, iurandum vim & locum habeat necne, præterea, ut aliorum offensio tollatur. Insuper etiam, si grauius, & maius bonum faciendum occurrat. Ad hæc, ut peccati periculum, & occasio præcidatur. Postremò, si temerè, & inconsideratè iurauerit quispiam, si quadam animi leuitate, & subita, aut graui perturbatione iuret.

Octauò queritur, An qui iurando promittit aliquid se facturum, tuta conscientia possit iuramentum relaxare? **Respōdeo**, posse in multis causis. Primum, cum iuramentum turpitudinem continet ex parte eius, cui est aliquid promissum: ut quando iuramus nos soluturos vsuras. Deinde quando iurandum est vi, dolo, metu, aut extortum. Præterea quando promissionem iurando firmamus per iram subitam, inuicem, vel aliam quamlibet magnam animi perturbationem, sensum, & iudicium non auferentem. Item, quando iurandum seruari nequit, absque iurantis graui incommodo, & detrimento. Postremò, quando ambigitur sit ratum, & firmum necne, iurandum. **QVAERES**, an quando iurandum est contra bonos mores iuris naturalis, vel diuini, is qui iurauerit, indigeat absolute, ut liber sit à iuramenti vinculo? **Resp.** minimè, quoniam nullum est iurandum huiusmodi, & in male promissis, nimirum contra ius naturale, vel diuinum, quisque potest promissionem suam quamuis iureiurando firmam, propria auctoritate reuocare. Ut si iurasti te parentibus debita vitæ subsidia denegaturum, aut depositum non redditurum, aut arcana proditurum, aut venenum innocenti præbiturum. Obijciens quod habetur in cap. cum quidam, §. illi verò, de iureiurand. vbi dicitur: Illi, qui iurant non loqui, vel patri, sorori, vel fratri, aut eis humanitatis subsidium non exhibere, absolventi sunt ab illius iuramenti obseruatione, cum illicitum sit, & contrarium rationi. **Innocentius**, **Antonius Butrius**, **Felinus**, & alij in eo cap. aiunt in his necessariam esse iuramenti absolute.

quoties illud seruari possit absque interitu salutis nam in aliqua causa sine peccato potest quis hæc parētibus, aut fratribus denegare. Sed hic sensus cum verbis Pontificis pugnat, qui ait iuramentum illud esse rationi contrarium, & ideo relaxari, & absolui debere. Quare verius est, quod **Glossa**, & **Hostiensis**, **Abbas**, & **Imola** *ibid.* tradiderunt, absolui eos à iuramenti obseruatione oportere, non quod necessario absolutio requiratur, sed ut res ipsa cautius agatur, aut certè, ut mihi videtur, sensus est, absolventes esse, qui sic iurant; hoc est, declarandum est auctoritate iudicis, eos esse iuramentum à vinculo solutos. **DEINDE QVAERES**, Quid dicendum, si aliquis iurando promittit vsurarium, vel latronem, non petiturum se relaxationem iuramenti, quo ei promittit vsuras, aut certam pecunie quantitatem se daturum, An indigeat iuramentum absolute? **Resp.** eum indigere, quoniam est turpiter vsurarius, vel latro iuramentum extorquet; qui tamen iurando promittit, non peccat; & potest absque peccato promissum exolvere: ergo iuramentum vim habet, & locum, & proinde indiget relaxatione. **TERTIO QVAERES**: Quid iudicandum, si is, qui vsuras promittit se soluturum, pariter iuret se eas solutas nunquam repetiturum, nec iuramentum absolute non petiturum, nec absolute non petiturum? **Resp.** eiusmodi iuramentum absolute indigere, quoniam, qui iurauit potest salua conscientia promissum prestare: is, qui relaxationem petit, non peccat, quoniam eiusmodi iuramentum nemo potest se alteri obligare cum Ecclesiæ iustitiam detrimere: Ecclesiæ, o ius habet, & auctoritatem iuramentum relaxandi.

Nonò queritur, An iuramentum absolute sine relaxatio absque legitima causa impetrata, & obtenta alicuius sit momenti? **Resp.** ex communi sententiâ, iuramentum vinculum esse iuris naturalis & diuini, & proinde qui eius relaxationem citra iustam causam petit, peccat, sicut etiam is, qui relaxat: ipsa quoque relaxatio inutilis est, & inanis: quare peccat etiam qui ea vitur. Hæc omnia ea vnica ratione colliguntur, quod auctoritate humana sine iusta & legitima causa non possunt, quæ sit iuris naturalis, vel diuini relaxari, & dissolui.

Sciendum est multum interesse, cum iuramentum sit irritum, aut creditoris voluntate remittitur, & cum quis iuramentum vinculo absoluitur. Nam sine causa iusta nemo potest iuramentum obligatione solui; at irritum fieri, aut remitti iuramentum sine causa potest, sed sola voluntate eius qui remittere, aut irritum facere potest, nimirum ratione materiæ, quæ ad liberam alterius administrationem, vel utilitatem, & commodum spectat. Nam in omni iureiurando tacite inest conditio, si placuerit Superiori, ad quem pertinet res, quæ iureiurando promittitur. Et in hoc locum habet id, quod dici solet, In quolibet iureiurando intelligi exemptam Superioris auctoritatem.

Decimò queritur, an iuramentum, quo nos facturos aliquid promittimus gratia alterius hominis, hoc est, quo iurantes promittimus quippiam huic, vel illi homini, possit auctoritate Pontificia relaxari? **Resp.** ex communi sententiâ, non posse sine causa iusta, ac debita, quando iuramentum utrinque est manifestè iustum, honestum, & utile, & postquam ab eo, cui est promissum facta, acce-

pta, & rata habetur: secus est, antequam promissionem ratam, & acceptam habeat, aut cum iusta aliqua causa subest. Nam Ecclesia non potest sine causa debita ius alteri acquisitum adimere: at cum quis promissionem sibi factam ratam, & acceptam habet, ius acquirit in rem sibi promissam. Iusta causa est, cum is, cui aliquid promittitur, iurandum inique, aut vi, dolo, metu, ex-torquet; item cum ambigitur sit necne iusta, & honesta, & vilis res, quae promittitur. **Si QVAERATUR**, quando iurandum est gratia, & causa alterius hominis? **Resp.** quando cedit in obsequium, lucrum, vel commodum alterius, quando vero cedit in honorem, & cultum Dei, non est gratia alterius hominis. Vt si Titius inter se centum Caio daturum, vel ei librum, aut fundum venditurum, vel in Capitolium ascensurum, ut Caij negotia gerat, sunt promissiones iureiurando firmatae gratia alterius hominis; at vero si iurando mihi promiseris te in die festo rem diuinam auditurum, aut in sanctorum Apostolorum, vel Martyrum perugilijs ieiunia seruaturum, aut nunquam amplius peiuraturum, aut nunquam alea lusurum, vel Religionem te susceperum, sunt promissiones ex parte in Dei honorem factae, quia opera charitatis, pietatis, vel religionis promittuntur, ex parte vero sunt factae gratia mei, quoniam iureiurando tuam mihi fidem obstrin-gis, ac promittis, te certum opus pietatis religio-nis facit. **Quandocumque** iurandum in promissione interponitur gratia alterius; potest ille remittere, quoniam etiam si Deus testis aduocetur, & iurandum acceptum, & ratum habeat, habet tamen in commodum, & bonum alterius; & proinde eiusmodi iurandum Deus remittit, quando remittit is, cui est promissio facta, & quisque potest suo iure cedere, & rem sibi debitam condonare, siue remittere.

**Vndecimo** queritur, Quid sit dicendum, cum Titius iurauit se certae Caij filiae dotem daturum, ut possit commode nubere, an Caius, aut eius filia eiusmodi iurandum possit remittere? **Socrus lib. 5. de inst. quest. 1. artic. 9.** distinguit: Aut Titius iureiurando se deuinxit pietatis, ac religionis causa, eo quod filia Caij inopia premeretur; aut promissit gratia puellae, vel patris. **Si primo**, inquit, modo iurauerit, non potest Caius, & filia iurandum di- uertere, est enim votum Deo factum. **Si secundo**, potest Caius id iurandum dissoluere, quoniam sibi, aut filiae est facta pro-missio. Id est, si iures te certo pauperi elemosinam largiturum: aut. n. promittis, ut pro sis homini, & proinde causa ipsius, aut promittis Deo videlicet studio pietatis in Deum. **Si primo modo** pauper potest iurandum remittere, si secundo modo non ite.

**Duodecimo** queritur, quid iudicandum sit, cum duo, videlicet, Titius, & Caius, sese iureiurando inuicem obstrinxerunt, quo uterque alteri promissit se aliquid facturum; an uterque possit iurandum alteri remittere? **Resp.** Si iurandum promissionem Deo factam confirmet, neuter potest alteri remittere. **V. G.** si pietatis causa vnus iureiurando promissit se ad Religionis statum transcurum, vel ieiunium ab Ecclesia in-dictum seruaturum, peregrinaturum, Diuinam rem auditurum, idem quoque alter iureiuran-do promissit. Si vero vtriusque promissio est gra-

tia alterius facta, ob vtilitatem vtriusque, potest vterque alteri iurandum remittere; ut si vterque iuret se alteri opem, & auxilium daturum.

Cap. X.

De legitima iurisdictioni commutatione,

**Primo** queritur, An quis propria auctoritate possit iurandum in melius commutare? De hac questione Abb. in cap. Peruenit 2. De iureiuran. num. 2. Anton. Butrius, & ceteri ibidem. **Respondeo** in cap. Peruenit 2. De iureiuran. aperte dici, non infringere promissum, qui in melius commutat. Et cap. Qui bona, 17. quest. 1. dicitur: *Qui bona agunt, si meliora agere desiderant, post deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu iamen Dei deciderunt ex deliberatione.* An vero peritius reus sit, qui iurandum propria auctoritate commutat in melius, dubiae questionis est, nam in cap. Peruenit, solum dicitur: *Qui in melius commutat, propositum, aut promissum minime infringit.* Sed animaduertendum est, ut docet Abb. in cap. Peruenit, 2. de iurei. ex Innocent. & Ioan. Andr. iurandum, aut confirmare promissionem factam Deo, aut factam homini. Si confirmet promissionem factam homini, non potest quis absque consensu expresso, vel tacito eius, cui est facta promissio, in melius commutare, quoniam homo non semper sibi gratum, & acceptum habet, quod melius est. Vnde in l. Mutuum, ff. de reb. credi. Sed certum petatur. §. 1. & Inst. quibus modis tollitur obligatio dicitur: *Aliud pro alio inuito creditore solui non potest.* Ex quo fit, ut si iuraueris te aliquid facturum gratia alterius, commutare in aliud non possis, nisi eo consentiente. Quando vero iurandum promissionem Deo factam confirmat, potest quispiam auctoritate propria iurandum quo temporale obsequium Deo promissit, in perpetuum ingres-sum ad Religionem commutare, ut tradidit Abbas, cuius sententia communi consensu recepta est, quod confirmat ex cap. Scripturae, De voto, & voti redempt. De ceteris vero promissionibus iureiurando firmatis questio est: & Antonius Butrius ita distinguendo respondet: **Si** dubitetur melius sit necne id, in quod iurandum commutandum est; Episcopi, aut alterius Superioris Antistitis legitima auctoritas requiritur: Et in hoc omnes consentiunt, si vero euidenter sit melius: aut id simul cum primo iureiurando seruari potest, aut non potest: si possit, tunc primum in secundum mutari nequit, & iurandum obseruari debet, nisi Episcopi auctoritate mutetur in melius: Et in hoc etiam Abbas, & ceteri conueniunt. Vt si iuraueris te ad certum locum pium peregrinationis gratia iturum, & velis ad alium locum sanctiorem, peregrinando ire, non potes propria auctoritate in hoc melius, & perfectius commutare iurandum, & proinde quamuis secundum praestiteris, debes primum iurandum seruare. **Si** vero id, quod melius est, seruari pariter cum iureiurando nequeat, potest, inquit Antonius, quisque iurandum in melius propria auctoritate commutare. **At hoc** Abb. non probat. Non enim si iurasti, te in certa domo hospitali inseruiturum pauperibus, licet tibi in alia religiosiore inseruire: nec ite si iurasti te subleuaturum inopia certi pauperis, fas est, eo omisso, alteri pauperioris egestati succurrere. Si iurasti te certae religionis regulam susceptu-



rum, tuta conscientia, non potes alterius arctioris, & sanctioris institutum amplecti. Et hoc patet, inquit, Abbas, intelligitur, quod in *cap. Peruenit, citato* infirmitur; Non se peritij crimine eum obstringere, qui iusurandum commutat in melius: nam dicitur, Non propositum, aut promissum infringit, qui in melius commutat. Mihi tamé probabilius videtur, quod scripsit Antonius Butrius, is enim loquitur de eo, qui iusurandum mutat in id, quod est certò, & euidenter maius bonum: nam eo ipso est Deo magis acceptum, & gratum.

Secundò queritur, An qui facultatem, & auctoritatem habet commutandi vota, idem quoque habeat facultatem commutandi iusurandum? inter oēs cõuenit, eum, qui ratione muneris, quo fungitur, ordinariã habet auctoritatẽ commutandi vota, posse eadẽ quoque vota iureiurãdo firmata commutare. Tales sũt Episcopi ac Superiores, Antistites, & ceteri Episcopalem iurisdictionem ordinariã habentes. Sed questio est de ijs Cõfessarijs, quibus Pontificiã Constitutionis, aut priuilegij, facultas committitur in foro conscientie vota commutandi, An eo ipso facultatem habeant commutandi eadem vota iureiurando firmata? Dux sunt opinioniones: prima docens, omnes Cõfessarios, quibus committitur facultas commutandi votum, iusurandum posse tunc commutare. Huius opinionionis quidam putant Sotũ auctorem esse l. 8. de Iust. q. 9. ad fin. artic. & in resp. ad 3. Alij etiam volunt Caiet. esse eiusdem sententiã 2. 2. q. 82. ar. 9. Sed id sensisse Sotum aut Caietanum non puto, vt statim ostendam. Hanc igitur primam sententiam sequitur quidam iunioris Theologi, vt Arag. 2. 2. q. 88. artic. 12. quam inde probant, quia teste S. Thoma 2. 2. quest. 89. ar. 8. cõ alijs, arctius vinculum est voti, quàm iurisiurandi? Sed quando conceditur id, quod maius est, non videtur denegatum id, quod minus est. Deinde sublato voto, necesse quoque est vt iusurandum cesset, ac desinat, quod votum cõfirmat: nam subtracta materia iusurandi, ipsũ quoque iusurandum dirimitur. Ergo si Cõfessarius demandata sibi facultate commutat votum Deo nuncupatum, eo ipso tollit iusurandum, quo votum confirmatur. Postremò, principali remoto, remouetur quoque id, quod illi est adiunctum: sed iusurandum vota Deo facta confirmat; ergo si cõfessarius potest promissioẽ in aliud cõuertere, eo ipso poterit iusurandum, quod illas cõfirmat.

Secunda opinio, quã habet Nauar. in Man. c. 27. n. 275. cõter huiusmodi Cõfessarium auctoritatem non habere commutandi promissionem Deo factam, & iureiurando firmatam, quamuis facultate sibi commissa votum commutare possit. Hoc verò ille comprobatur, quia in priuilegijs, & facultatibus, quæ gratis, & liberaliter cõceduntur, auctoritas extendi, & relaxari nõ debet, sed potius contrahi, & restringi. Præterea, in his ea Regula locum non habet cui conceditur quod maius est, cõrefsum quoque videtur, quod est minus: hæc enim Regula intelligitur, quãdo id quod minus est, in maiori cõtinetur tanquam pars in toto, vel species in genere; non autem quando diuersa sunt, licet aliquo modo similia, & affinia. Hic autem & voti, & iurisiurandi vincula diuersa sunt; ergo si facultas ad votum commutandum data est, non eo ipso

datur ad iusurandum. Item, sunt duo vincula, non igitur si datur facultas soluendi vnum, cõtinuò sequitur, vt detur facultas soluendi duo.

Quidam sentiunt, in hac questione sic esse dicendum, Promissio quæ Deo facta iureiurando firmatur, dupliciter confirmari potest, & solet. Prima, aliquãdo votũ Deo nuncupatur absque illo iureiurando, & deinde tẽporis intervallo, vel eodẽ etiã momẽto iureiurando munitur. Secundo, plerumque iusurandum fit: nec tamẽ vllũ votũ Deo nuncupatur; vt cum quis iurãdo promittit Deo, se aliquid facturum. Hoc posito respõdet, Cõfessarium, qui potest votum commutare, posse quoque iusurandum quod ex intervallo temporis, vel eodẽ tempore puncto ad votum accessit. Et in hoc, inquit, prima opinio locum habet. Nam sublato principali, quod est votũ, aufertur quoque: quod est an nexum, eiq; parte displicet: non tamen posse commutare votum secundo modo factum, quoniam non est votum simpliciter factum, sed iusurandum quo quis se Deo obligauit: & in hoc, aiunt, est vera secunda opinio, cõ quod non conceditur Cõfessario facultas commutandi iusurandum, sed votum; at voti, & iurisiurandi vincula diuersa sũt.

Alijs tamen nõ videtur opus esse distinctione: Idem, inquit, iuris est, si primum Deo aliquid voueas, ac deinde intervallo temporis iureiurando corroborares, ac si simul iureiurando voueas. Quare si Cõfessarius vnum potest, potest & reliquum, quod si nec vnum potest, non potest & alterum. Mihi tamẽ placet prædicta distinctio ex parte, & ex parte displicet. Placet quidem, eo quod existimo aliud esse, si voueas te aliquid facturum, idque iureiurando confirmes: aliud verò, si iures te aliquid Dei causa facturum. Nam in primo sunt duo vincula coniuncta voti, & iurisiurandi: & votum est materia iurisiurandi: in secundo solum est vinculum iurisiurandi, nec enim est vllum votũ, quod sit materia iurisiurandi. Nauar. hæc non distinguit, sed solum loquitur de iureiurando secundo modo factò. Atverò siue iusurandum fiat primo modo, siue secundo, vt simpliciter dicam, puto veriorẽ esse secundam sententiam: quia reuera aut sunt voti, & iurisiurandi duo vincula diuersa, ac proinde cuius facultas demandatur vnum soluendi, aut commutandi, nõ eo ipso potestas cõmittitur tollendi, aut cõmutandi alterũ. Nã difficilior est duo vincula soluere, quàm vnum. Item, promissio, aut votum metu factum, irritum est, & inane, at iureiurãdo corroboratum subsistit, vt firmũ: ergo nõ ex hoc, quod votum dirimitur, iusurandum absoluitur, & qui simpliciter promittit se soluturum viaras, nõ cogitur eas soluere; cogitur tamen qui promittit & iurauit se soluturum c. Debitores, de iurcu. Aut est tantum vnum iurisiurandi vinculum: & tunc existimo etiam veram esse sententiam secundam, quia votum & iusurandum sũt vincula diuersa, & nõ cui committitur facultas soluendi vnum, cõmittitur, vt possit alterum soluere. DICES, Quando votum est materia iurisiurandi, necesse est, vt qui habet ex priuilegio facultatẽ soluendi votum, habeat quoque, vt possit soluere iusurandum: quia sublata materia iurisiurandi, iusurandum dissoluitur? Resp. nõ cõcedi facultatẽ soluendi votũ, nisi quod est simplex, non quod est altero vinculo, videlicet

cer, iureiurando communitum. Ac proinde merito societas nostra, cuius Confessarius Romani Pontificis beneficio erat facultas delegata commutandi vota, Priuilegium impetrauit commutandi eadem vota etiam iureiurando firmata. Compendium priuilegiorum verbo, *Commutatio*, §. i. sic habet: *Confessarius Societatis possunt commutare omnia vota, exceptis vltimo, & Petri, & Pauli de Vrbe, S. Iacobi in Compostella, Castitatis, & Religionis quam facultatem à Paulo III. concessam, cum eadem exceptione extendit Gregorius XIII. ad vota iurata: dummodo Commutatio non fiat in preiudicium tertij. Et subiungit: Communicatur hæc facultas omnibus Confessarijs approbatis, eodem modo tamen quo facultas absoluenti, que habetur in verbo Absolutio, §. i. hoc est: Communicatur omnibus Confessarijs à Superioribus deputatis, & ab ordinario loci iuxta formam Concilij Tridentini sess. 23. cap. 15. de reformatione approbatis.*

Tertio queritur, An si Confessarius in foro conscientie facultatem habeat commutandi omnia vota etiam iureiurando munita, exceptis quinque illis, quorum absolutionem diximus Romano Pontifici referuata, commutare queat aliquid votum ex illis quinque iureiurando firmatum, si solum sit iusiurandum, & votum cum poenae adiectione. Exempli gratia, iurat quis se certum peccari genus euiturum; alioqui poenam certam se soluturum; nimirum Religionem susceptrum, aut limina Apostolorum Petri, & Pauli iniuratum: **QVAERITUR**, an commutatio iusiurandi, quod vulgo poenale appellatur, sit Romano Pontifici referuata? Nam si tale iusiurandum, non potest Confessarius commutare, quoniam vnum est ex exceptis; si minus, potest. Hanc questionem latius tractabo, cum agam de voto. Duæ sunt opiniones: prima docet, eiusmodi iusiurandum, siue votum, quando cuique poenale fuerit, posse auctoritate Episcopi relaxari, & facultate Confessarij commutari, etiam post impletam conditionem, hoc est, post poenam contractam. Sic quidam iuniores, inter quos est Medina in sua instruct. Confessariorum cap. 14. §. 6. & Couarr. in c. quomodo de pact. in 6. p. 1. §. 3. n. 12. & alij aiunt hanc opinionem esse probabilem: quoniam huiusmodi votum, & iusiurandum, nec fit, nec adhibetur studio, & causa Religionis, aut peregrinationis suscipiendæ. Immo qui sic vouet, ac iurat, eod quoddammodo ab eo peccato continetur, quod cauere cupit. Romanus autem Pontifex, qui sibi quinque illa vota, aut simpliciter facta, aut iureiurando referuauit: non censetur ea referuasse, nisi quando facta sunt studio, & gratia pietatis. At secunda opinio tradit ea vota quomodolibet facta, Romano Pontifici referuari; & proinde cum post conditionem impletam, & poenam contractam effecta sint absoluta vota Religionis, aut peregrinationis suscipiendæ, consequitur, vt ab alio, quam à Romano Pontifice relaxari, aut commutari nequeant ita sentiunt Sor. lib. 7. de iust. q. 2. art. 1. ad 4. Nauar. in Manual. cap. 12. n. 43. Et hæc opinio mihi probabilior videtur, quoniam vsu, & consuetudine, ac partim etiam iure, ea quinque

vota, quæ diximus, Romano Pontifici simpliciter referuantur. Nec enim distinguit vsus, vt quæ sunt studio pietatis, referuata sint, alia non item. Vbi autem ius, vel consuetudo nihil distinguit, nos minimè distinguere debemus. Præterea, qui iurat se certum delicti genus declinaturum, alio qui Religionem, vel peregrinationem susceptrum, sciens, ac volens se Deo obligauit & sicut iurat se peccatum deuiturum, ita promittit Deo Religionem, aut peregrinationem, si peccatum non cauerit. Et parum refert, sit alieno animo necne à Religione & peregrinatione, satis est si scilicet iureiurando promittat religionis institutum, vel aliquid aliud virtutis officium, si nequaquam se à peccato contineat.

**Quarto queritur**, An qui potestatem habeat commutandi iusiurandum, habeat etiam illud idem relaxandi? Resp. eos qui ratione muneris, & officij quo funguntur, habent potestatem commutandi iusiurandum, habere ius, & auctoritatem relaxandi: cum ad eorum munus, & officium vtraque pertineat, quales sunt Episcopi. At verò Confessarius, cui facultas demandatur commutandi iusiurandum, non eo ipso auctoritate habet illud relaxandi, quia sunt facultates diuersæ: ergo non eo ipso, quod vna committitur alicui, committitur & altera, Immo relaxare iusiurandi vinculum amplius quid est, quam commutare.

**QVAERES**, An è contrario, Confessario, cui committitur relaxatio iusiurandi, committatur quoque commutatio: siquidem minoris est facultatis commutare, quam relaxare? Resp. Iuniores multos affirmare, huiusmodi potestatem committi: quia commutare est quid minus quam relaxare. Sed mihi oppositum lōgè probabilius, & verius videtur: nam commutatio iusiurandi est in id, quod est æquale, non in id quod est minus: at plus scientiæ requiritur ad commutandum in id, quod est æquale bonū, quam ad dirimendum iusiurandum ex toto, vt dicam cum de voto tractabo. **Obijcies**, quoniam sunt facultates diuersæ, & in priuilegijs facultas ad vnum aliquid faciendum commissa, non debet extendi ad aliud quod est diuersum, quamuis minus id sit: at is cui conceditur, vt possit iusiurandum relaxare, videtur cōcedi, vt commutare queat: nam cum possit ex toto iusiurandum dirimere relaxando, cur non poterit ex parte dissoluerè commutandò? **Respondeo**, Commutationem iusiurandi in id, quod minus est, non solum esse quid minus, sed etiam in ipsa facultate relaxandi contineri, vt parte in toto: Nam qui relaxat iusiurandum ex toto dirimit: qui commutat in id, quod minus est, dissoluit ex parte. Si igitur mihi cōceditur, vt votum tuum, aut iusiurandi vinculum ex toto soluam, possum ex parte illud auferre. Et proinde eo ipso possū in id, quod minus est bonum commutare: & hoc est, quod ceteri iuniores dicere voluerunt: sed hæc non est proprie commutatio, sed relaxatio iusiurandi ex parte: quia in iureiurando, & voto tunc vinculum obligationis commutatur, quū mutatur in id, quod est æquale bonū, sicut rerū aliarū permutatio tunc fit, cū res vna altera equali cōpēsat: sed ad commutandā vnā obligationē in alterā equalē, magna scilicet & cognitio requiritur: ergo non eo ipso quo tibi committitur, vt vnā obligationē ex

oro dissoluas, committitur, vt commutes eam in alteram æqualem.

Quintò queritur, quinam habeant auctoritatem rescindendi, hoc est, irritum, & inane reddendi iurandum? *Respondeo* cum sancto Thoma 2. 2. *que. 89. art. 9. ad 3. eos, quorum potestati, & gubernationi ij, qui iurant, sunt subiecti: Vt pater familias potest iurandum filij; vir vxoris; Dominus serui. Animaduertendum tamen est, penes hos non esse facultatem rescindendi quodlibet iurandum subditorum; sed illud duntaxat, cuius materia est eorum potestati subiecta V. G. si filius familias, vxor, vel seruus iuret se aliquid facturum, quod affert aliquod detrimentum, aut incommodum rebus patris, mariti, vel domini. Nam iurandum, vt paulo ante dixi vidi, & locum non habet cum detrimento eius, cuius in ditione, & potestate est ille, qui iurat, nisi ipse quoque iurandum ratum habeat. Item, Rom. Pontifex iure potest nudo, & arbitrato suo relaxare, & rescindere omne iurandum Clericorum, vel Religiosorum ratione materie, quæ ad liberam eius voluntatem, & potestatem pertinet. Idem iuris habet Abbas, & quilibet alius coenobij, & religiosi conuentus Præfectus in ijs, quæ sunt liberæ eius gubernationi, & administrationi subiecta.*

### Cap. XI.

*Diluuntur quædam quæstiones de iure iurando, quod in publico iudicio interponi solet.*

Primò queritur, An is qui notatus est infamia, & dedecore aliquorum scelerum, possit tunc absque peccato iurare se ab his criminibus esse immunem, ac liberum, mente, & animo concipiens se illis carere, quia sunt per sacram peccatorum confessionem dimissa? *Respondeo*, minime, vt constat ex *cap. Accepimus, De Purgatione Canonica*, vbi cum quidam Archiepiscopus, cui erat trium scelerum iniusta infamia, Simonie scilicet, Incontinentie, & iniusti quæritus, ac lucri, iurare voluisset se esse ab illis criminibus vacuum, ac liberum, intelligens esse sibi per sacram poenitentiam condonata, respondet Pontifex, vt iurare cogatur an ab illis peccatis sit liber, postquam fuit ad Pontificiam dignitatem delectus atque promotus. *Ex quo fit*, vt si mulier adulterium admiserit ita, vt eius criminis ignominia, & infamie notam subierit, tuta conscientia iurare non possit, se eo scelere carere, etiam si credat sibi esse per sacram peccatorum confessionem remissum. Nam is, cui sunt peccata per poenitentiam condonata, adhuc auctoritate iudicis damnari, & puniri iure potest: per sacram enim poenitentiam Deo satisfacimus non homini: at is, qui prauo vitæ exemplo homines offendit, & Republicam perturbauit iuste punitur, vt hominibus satisfaciat: & coram Republica delictum, qua ratione potest emendet, ac corrigat.

Secundò queritur, An iudici liceat eum adgere ad iurandum, quem nouit falsum iuraturum, aut iurandum non seruaturum? *Respondeo*, cū Ricar. 3. *dif. 37. art. 3. q. 3. si suo officio publi-*

co functus, ordine iuris seruato iurandum exigat, nullū peccatum admittit, quando nouit eum à quo postulat iurandum, esse paratum ad iurandum falsum, quoniam suo iure vtitur, ac suo officio fungitur; & culpa tota penes eum refidet, qui falsum iurat. Sic etiam Siluestr. *iuramentum 2. q. 9. Abbas tamen in c. Clericos, de cohabit. Cler. ex mul. insinuat non esse iurandum petendum ab eo, quem Iudex vehementer suspicatur falsum iuraturum, ac propterea non esse Clericos cogendos iurare dimissuros se concubinas. Sed certè si Iudex iuris ordinem seruat, & actor postulat, vt reus iurandum præstet, tuta conscientia reum cogit interponere iurandum. Scius verò esset si iuris ordo non seruaretur, aut nullus esset in iudicio actor, qui iurandum exigeret, aut Iudex idoneum aliquod remedium adhibere facillè posset.*

Quæres, An priuato homini liceat eum ad iurandum inducere, quem scit falsum quidem iuraturum; sed bona fide deceptum? *Exempli gratia: Titius nouit nondum tres annos fluxisse, ex quo Caius fuerit ex Asia reuersus: & scit præterea Sempronium bona fide putare, tres annos exactos iam esse: Queritur, an Titio fas sit Sempronium hortari, & rogare, vt iuret, esse iam tres annos elapsos, ex quo Caius redijt ex Asia? Resp. minime; quoniam licet Sempronius opinione æstimationeque sua falsum non iuret, nihilominus tamen iurat, quod re ipsa falsum est. At Titius nouit id verum non esse, ergo ei nefas est Sempronium hortari, & suadere, vt iuret quod ipse Titius scit esse falsum; iurandum enim in Sempronio quidem culpa vacat, in Titio tamen iurandi suadere, monitore, vel auctore noui item.*

Tertiò queritur, An qui iurat aliquid solummodo generatim, ad aliquid speciale sese obliget ei, cui iurandum præstat? *Respondeo*: Aut bona fide iurat, aut secus; si primum, non se obligauit ad id præstandum, quod si cogitasset, non iurasset. Sic exemplum: Titius Clericus iurauit, se Episcopi mandato obediturum, & præcepit Episcopus, vt beneficium deponeret, & ne superiore appellaret, reuera potest Clericus appellare, quoniam si ei, cum iurauit, hoc venisset in mentem, proculdubio non iurasset. At cum quis dolose iurat, & is qui iurandum exigit, fraudes, & dolo caret, interpretari iurandum debemus in commodum, & bonum eius, cui iurandum præstatur.

Quartò queritur, An iurandum interpositum contra superioris mandatum sit ratum, & firmum? *Respondeo*, minime. Iuravi me tibi daturum centum, sed Iudex id fieri prohibet, liber sum à iurandi vinculo. Idem iuris est, si postquam iuravi, tu excommunicatione fueris affectus, & vt talis denunciatus, nec enim tibi soluere debeo, cum absolutus non es, quia es à conuictu, & societate piorum hominum exclusus: ac proinde à tuo commercio prohibeor.

Quintò queritur, An si quis simulatum ac fictum contractum iure iurando confirmet, ipsam reddat ratum, & firmum; ita vt absque vlla iurifurandi absolute contrauenire non possit? *Respondeo* cum Panor. *mirano in cap. Cuius con-*

tingat, de iureiur. quem sequuntur Silu. iuram. 4. q. 17. Angel. iuram. 5. q. 17. Tabien. iurare. q. 14. Si contractus vnâ cum iureiurando vtriusq; consensu tum eius, qui iurat, tum eius, qui iusurandum exigit, fit fictus & simulatus, ex iusta tamen causa, & contractus, & iusurandum simulatur ab eo, qui iurat, nullius est momenti iusurandum, quia iustus & debitus consensus non fuit, & iusta de causa est simulatus contractus in eo, qui iurat; V. G. si contractus fingatur, qui talis non est, nimirum venditio pignoris causa mutui dati, & accepti, vt vsura soluantur, & vt is, qui mutuo dat, lucrum acquirat, is qui simulato iureiurando promittit se soluturum vsuras, eas soluere non cogitur. Similiter si quis per simulationem iuraret se centum daturum latroni, aut tyranno, ne ab eo iniuriam vexaretur. Si verò contractus vnâ cum iureiurando fit consensu vtriusque fictus ex iniusta causa, nempe in fraudem, aut dampnum alterius, V. G. in falso testimonio contra alium dicto, aut in contractu ficto, ne debitum tributum Principi solvatur, peritius est vterq; nec alteruter est audiendus, si excipiat postea contractum, & iusurandum fuisse simulatum, etiam si vterq; iurauerit se nunquam contra iusurandum quidpiam facturum. Porro si contractus solummodo simulatus sit ex parte vnius, & iusurandum simulatum quoque interponitur, ne contra eum, qui contractum simulat, agatur, iusurandum est irritum, & inane, ac ex contractu surgit obligatio, ac si verus esset. V. G. Titius mutuo dat, & pignus accipit, & fingit se pignus emere: & Caius mutuo accipit, datq; pignus Titio, & iurat se pretium soluturum, & nihil vnquam se repetiturum, iusurandi vinculo non tenetur Caius, ac qui mutuo dat, quamuis simulet se pignus emere, mutui contractui, non emptionis, quam fingit, stare debet. Ex quo fit, vt si contractus sit Simoniacæ labe infectus, quâuis alius contractus esse fingatur, qui scienter illum iureiurando confirmat, lethale peccatum admittat, nec villo iusurandi vinculo teneatur obstrictus. Similiter etiam si in contractu vsuræ crimen committatur, & alius contractus esse simulatur, mutuatarius, qui se soluturum vsuras iurat, eas quidem debet soluere, nam iure potuit promittere se eas soluturum, sed nihilominus potest solutus repetere, si per simulationem iurauit se eas soluturum, tanquam pretium rei emptæ, aut etiam si iurauit se nihil vnquam repetiturum, siquidem in soluendo non peccat, ac iusurandum, quod ille præstitit, nihil prodest ei, qui mutuo ad vsuras dedit.

Sexto queritur, quinam in iudicio à iureiurando prohibentur? Resp. in primis pueros ante pubertatis annos, hoc est, ante decimum quartum ætatis annum. Cap. Pueri, 2. q. 5. vbi dicitur: Si puer vel puella iurauerit in patris potestate existens, iusurandum est irritum, cum pater suum atque audiuit, contradixit. Atcentur etiam ac repelluntur à iureiurando infames, & ij, qui tanquam periuri damnati sunt. Archidiaconus dubitat de ijs, qui infames periurie sunt notorij per euentiam facti; alijs verò magis probatur, in vnuersum omnes excludi, qui notorij, siue sententia Iudicis conuicti, siue ipsoforum confessione in iudicio, siue per euentiam facti: Item, furiosi ad iusurandum in iudicio non admittuntur, ca. Merito 15. q. 5. Prætere-

Sacerdotibus iurare non licet in iudicio coram Magistratu, vel Iudice civili. c. Nullus, 22. q. 5. & L. Cum Clerici, c. De Episcopis, & Clericis, §. quod si sit. Quod intelligitur etiam si iusurandum calumniæ causa præstare coguntur absque Episcopi permissu: aut Episcopi iurare compellantur, sine Romani Pontificis consensu; eius enim permissu fas est Episcopis: & Episcopi consensu, Clericis iurare, c. 1. de Iuram. calum. QVAERES, an saltem, vt testes cogi queant iurare coram Civili Iudice absq; Superioris concessu? Resp. minime. c. Statutum est 2. q. 6. vbi dicitur: Nulla ad testimonium dicendum Ecclesiastici cuiuslibet persona cogatur. & cap. Quamquam 14. q. 2. dicitur: Sacerdotes in secularibus negotijs pro conficiendis instrumentis ad testimonium non rogentur. Sunt tamen quædam causæ, in quibus iure permittitur Sacerdotibus iurare, vt si sint testes ad iudicium vocati, & adhibiti: Vt si deficientibus probationibus aliquis fortunæ, & res suas amittat. Secundò pro communi bono fidei, & religionis tuendo. Tertio pro communi Reipub. salute, & tranquillitate seruanda. Quarto pro superioris mandato, & imperio obeundo. Quintò cum quis ab excommunicationis vinculo absoluitur. Sextò cum quis à dedecoris, & infamiæ nota purgare se cogitur. Hæc omnia partim videntur colligi ex c. Quamquam 14. q. 2. & partim ex ca. Significasti, De elect. & c. De Sacrosanctæ, dist. 28. & cap. Ad reprimeandam, De Offic. Iud. ord. & c. Presbyter 2. q. 5. Sed coram Iudice, & Magistratu Civili nunquam Sacerdos iurat etiam Episcopi consensu, ac cum alijs testes idonei in causa defunt, Episcopus facit, vt coram se iuret, vel coram alijs Ecclesiasticis Iudicibus, vel committit Episcopus quibusdam, qui Sacerdotum testimonia excipiant, & ad Iudicem civilem referant, vt ait Glossa in c. Quamquam 14. q. 2.

Septimò queritur, apud quæ Iudicæ, quis iusurandum præstare iure cogi queat? Resp. apud civiles Clericus id præstare iure non cogitur, vt iam dixi: Laicus tamen potest iure communi, vt in c. t. & in c. Dilectorum, De testib. cogend. nõ tamè apud quælibet, sed apud Iudicem competentem. SI QVAERAS, an celsuris Ecclesiasticis quis compelli possit ad testimonium dicendum? Resp. aliquando posse: nam si testes odio, vel amore, vel metu se subtrahant à dicendo testimonio, cogi queunt, vt habetur in c. t. & c. Dilectorum, de testibus cogendis.

Octavo queritur, An liceat iusurandum exigere; accipere, & præstare in iudicio diebus facris, & festis? Resp. minime, nisi in bonum pacis, aut piæ causæ. c. Conquestus, de Ferijs.

Nonò queritur, An cum quis in iudicio iusurandum præstare compellitur, debeat esse ieiunus? Respondeo, in c. Honestum, 22. q. 5. dicitur: Honestum etiã videtur, vt qui in sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate, & timore Dei. & c. Placuit, De testibus, testimonium debet dicere ieiunus testis: at vt Glossa annotauit, hæc magis ex æquo & bono, quàm ex iure, & lege requiruntur, & potius sunt consilia, quàm præcepta.

Decimò queritur, quid Canones, leges, & iurta intelligant appellatione iusurandi, causa calumniæ præitandi? Resp. in l. Inter coheredes, §. si familia, ff. Familia hereticunda, dicitur: Qui familia hereticunda, & communi diuidendo, & finium regundorum d.



gunt, & auctores sunt, & rei, & ideo iurare debent, non calumnie causa litem intendere, & non calumnie causa inficiari ire. Et in l. i. c. de iureiurando propter calumniam statuitur, vt in omnibus causis, in quibus necessitas probationis incumbet, non aliter hæ probationes recipiantur, nisi prius qui eas exposcit, iusiurandū de calumnia præstiterit, quod non causa differendi huiusmodi proposuit allegationes, & in l. Principales, §. Quod si actor, c. De iurei. prop. cal. dicitur: Quod si actor noluerit Sacramentum calumnie subire, & hoc legitime fuerit probatum, non licet ei penitus ad litem peruenire, sed cadat ab iustitia actione quasi improbus litigator, & Iudex eum à iudicio quàm longissimè expellat. Sin autem reus hoc Sacramentum subire recusauerit, in his capitulis, que narratione comprehensa sunt, pro confessis habeatur, & licet Iudici sententiam proferre, quemadmodum ei, & ipsa rei qualitas suggererit. Sic enim non lites solum, sed etiam calumniatores minuantur, & in §. Sed prædictū habetur: Prædictum Sacramentum in litib. quidem, que necdum sunt inchoatæ, præstari volumus in ipso litis primordio. Sin autem causa adhuc pendentes inueniantur, vel post litem contestatam, & post solitas iudiciales cautelas iam præstitas, si quidem præsto fuerit utraque persona, & in eadem ciuitate, vel territorio eius moratur, & in his litibus sacramentum locum habere, & in primo post hæc legem ingressu præstari volumus.

Vndecimò queritur, quot & quæ contineat iusiurandum, quod causa calumnie adhibetur? Res. cum Glossa in c. i. de iuran. calumn. Quinq. Primò, vt litigator existimet se litem iustam intendere. Secundò, vt rogatus à Iudice, veritatem non celet. Tertio, ne scienter falsas probationes adhibeat. Quarto, ne in fraudē, litem, & causam pro roget, & differat in tempus. Quintò, vt iuret se nihil alicui promississe, nec quidquam deinceps promissurum causa litis, nisi id, quod leges, & iura permittunt.

Duodecimò queritur, An Clerici iusiurandū causa calumnie præstare cogantur? Res. cum Glossa in c. i. de iuran. calumn. Si litem intendant, & causam propriam agant, id præstare compelluntur. At si Ecclesiæ causam egerint, minimè, vt colligitur ex c. Imperatorem, de iuran. calumn. Possunt tamen in sui locum aliquem substituere, qui pro eis petat, agat, & excipiat, & iusiurandum causa calumnie præstet.

## Cap. XII.

### De Periurio, & eius deformitate, ac penis.

Primò queritur, quid sit periurium? Respondeo Mag. 3. sent. dist. 39. esse mendacium iureiurando firmatū. Vnde cū quis nō habet in animo præstare id, quod iureiurando promittit, in periurij crimen incurrit. At apud scriptores Latinos periurium admittere dicitur is, qui vel falsum iurat, vel iusiurandum, siue fidem datam, & iureiurando firmatam in re iusta, & honesta non seruat.

Secundò queritur, An in omni periurio sit mendacium, & falsum iureiurando confirmatū? Quidam aiunt non omne periurium esse mendaciū, quoniam cū quis iurat se facturum rem iniquam, & eius animus est eam facere, periurium admittit, nec tamen mendacium iureiurando cō-

firmat, siquidem animus eius est id facere, quod iurando promittit. Deinde, cū quis nō implet, ac soluit, quod iurando se facturum promissit, mendax propriè non est, etiam si fidem datam violauerit, & tamen periurij crimine tenetur. Accedit item, quod si quis temerè, & inconsideratè veri aliquid iureiurando confirmat, periurus censetur, & tamen nihil falsi asseuerat.

Constans est nihilominus omnium sententia in omni periurio mendacium inesse, quoniam in eo, aut veritas, aut iustitia, aut iudicium, quæ tria omne iusiurandum postulat, desideratur. Si veritas in iureiurando desit, periurium admittitur, vt planè constat. Item, si quod iurasti iustum, & bonum te facturum, non facis, veritas deest, nō quidem verbo, sed facto. Si iustitia, periurium dicitur quoniam est is, qui iurando promittit se aliquid facturū, in animo habeat id præstare, vel exequi, quod promittit, quia tum à faciendo abstinere debet, censetur falsum iureiurando firmare. In autem, qui inconsideratè, & imprudenter iurando aliquid affirmat, aut negat, periurū habetur, quia exponit se periculo periurij, hoc est, periculū incurrit, ne falsum iureiurando corroboret. Mihi videtur periurium propriè esse mendacium, vt dixit Magist. iureiurando firmatum: & iusiurandū, cui deest iudicium, propriè est iusiurandum temerarium, & incertum; & proinde quadam rōe periurium, quatenus est cōiunctum cum periculo periurij: nam si inconsideratè quippiam iures, periculū est, ne falsū iureiurando cōfirmes, & iusiurandū itidē, in quo iustitia, nō tamē veritas desiderat. propriè est etiā temerariū, & stultū; & idcirco quadam rōe periurium, quoniam id, & quis iureiurando promittit, cū malū sit, prætermittit iure cōpellitur.

Tertio queritur, quotuplex sit periurium? Res. ex cōmuni sententiā, esse quadruplex. Primò, cū falsum iureiurando confirmatur. Secundò, cū promissio in re iusta, & bona facta, & iureiurando confirmata, non completur. Tertio, cū in iureiurando iustitia desideratur, hoc est, cū quis iurando promittit se iniquum aliquid facturū. Quarto, cū iureiurando iudicium deest; hoc est, cū quis temerè, & inconsideratè iurat. Primum illud, & secundum, vt paulò ante iam dixi, est propriè periurium: alia duo propriam rationem habent iusiurandi incauti, & temerarij, periurij verò rationem habent, quoniam ratione, ac modo quodam ad periurium reuocantur.

Quarto queritur, An periurium, quod est mendacium scienter, & spontè iureiurando firmatū, sit per se lethale peccatum? Angelus distinguit in verbo periurium, in principio, Gofredum sequutus in c. Quod autem ait, 2. q. 2. & in cap. vlt. §. Episcopus, eadem dist. c. 9. Si quis seriò peieret, lethalem culpam contrahit, si autem per iocum, venialem tantummodo. Silvester tamen Angelum confutat in verbo periurium, num. 1. & certè S. Th. 2. 2. q. 93. a. 3. ad 2. generaliter ait, lethalis peccati reum esse, qui seriò, siue iocosè peierat; quoniam æquè Deum offēndis, si eum mendacij, siue seri, siue iocosi testificienter accessas, & aduoces. At ego quidem existimo, Ang. solummodo significare voluisse, nō se lethali peccato adstringere eū, q. per iocū falsi aliquid iureiurando confirmat. Per iocum, dixit, nimirum quando eius animus nō est iurare: solèr. n. aliquid

ioei causa iurandum adhibere absque vlla iurandi voluntate: qui peccant quidem, sed non ita grauitur, vt Periuirij scelere, & crimine teneantur: aut saltem loquitur Angelus de eo, qui per iocum absque plena animi deliberatione mendaciter iurat.

Quintò queritur, An cum quis iurat per hunc ignem Dei, per hanc paleam, per hunc iuncum, aut stirpem, denique per alias res abiectas, & viles, nequaquam habens in animo iurare, & eo, qui audit, tanquam iurandum minimè accipientem, periurus censetur, si falsum iuret, aut si promissum non seruet? Respondeo cum Angelo, & Siluestro in verbis periurium, in principio in eiusmodi iurando veniale, non lethale crimen admitti, quoniam non est in illo, qui iurando vitur, animus iurare. **QVAERES**, quia ratione fit periurus, qui per creaturas falsum mendaciter iurat, quandoquidem creatura res sacra non est? **Resp.** Sicut verum iurare per creaturas religionis est actus, quia iuramus per Deum, cuius veritas in creaturis refulget, quippe qui est omnis veritatis auctor. Sic falsum iurare per creaturam, est periurium, quoniam aduocatur, vt testis, creatura, quatenus est quaedam Dei veritas.

Sextò queritur, An periurium sit homicidium grauius? Dux sunt opiniones: prima affirmat, estque S. Tho. *2. 2. q. 98. a. 3. ad 3. Ab. in c. testim. de test. Ang. periur. q. 6. Sil. periur. q. 6. & alij Summistæ in eod. verb. Cou. loc. cit. Glo. in l. Si quis maior. c. De transactio. ait, periurum esse iure ciuili infamè; nã in ipsa dicitur. Si quis promissa, quæ inuocato Dei nomine firmavit, nõ impluerit, nõ solũ notetur infamia, sed etiã actione priuatus existat. At in l. Lucius Titius. ff. De his, qui notantur infamia, videtur statui, periuros non esse inter infames habendos: & l. iurifurandi, c. De reb. cred. dicitur. Iurifuradus contempta religio satis Deũ vltorẽ habet, & l. Stelion ff. de crim. Stelion. iudicium famosũ quidẽ nõ est, sed coercionẽ extraordinariã habet: & in l. De Peri. ff. De crim. Stelio. dicitur: De Periurio si sua pignora esse quis in instrumẽto iurauit, crimen Stelionatus fit, & ideo ad tempus exulat. Hęc iura, & leges. Glossa conciliat sic: Periurus, cuius periuriũ nocet alteri, infamis est, vt habetur in l. Si quis maior. c. De transactio. at qui alteri non officit, sed sibi soli, infamis non est, vt si quis iurauerit se ieiunium seruaturum, vinum non bibiturum, sacrum auditurum, & iurandum non seruet, & in hoc locum habent ceteræ leges. S. Th. loc. cit. ait periurum in iure iuri. a. tertorio infamem non esse, nisi post sententiã iudicis latam contra eum in accusatione: periurum tamen in iure iuri. promissorio soleniter adhibito esse ipso iure infamem. Ab. loc. cit. inquit periurus secundum Canones est infamis, quia Canones infames appellant, quotquot lethali crimine tenentur obstricti: at secundum leges infamis non est periurus in iure iurando a. tertorio, sed in promissorio. Sic etiã docent Bart. in l. Lucius ff. de his, qui notantur infamia. Meo iudicio, si quis in testimonio dicendo coram iudice, aut in contractibus publicè initis, aut in pactis, & fide publicè data, iurandum interpositum violet, infamis canonico iure censetur, aliter non item. Iure autẽ Canonico periurus sustinet pœnã in famiæ: nam in c. Infames, & c. Quicquid, c. q. 1. periuri infames habentur. Ceterum quamuis periuri Canonico iure infames sint: quæ attinet tamẽ (ait Silu. periur. q. 6. ad fin.) ad infamiã irrogandã, & honorũ confiscatione re ipsa exequendã, & pœnã corporis infligendã, necessaria est sententia saltẽ generalis: unde, inquit, licet Tabellio periurus sit, ea tamẽ, quæ faciunt ratione publicè muneris, & officij, quo fungitur, rata, & firma sunt, donec sequatur iudicis sententia saltem de claratoria criminis: nisi forte esset ita notoriam, vt nulla posset tergiversatione calari. Hęc Silu. Itẽ pœna est in iure Canonico constituta in periuros. Quicquid sciens peierauerit 40. dies in pane, & aqua, & 7. annos pœniteat sequentes; & nunquam sit sine pœnitentiã, & nunquã in testimonium recipiatur, cõionẽ tamẽ post hoc recipiat. Hęc in c. Quicquid, c. q. 1. Et in c. Prædicandũ, 22. q. 1. dicitur: Prædicandũ est etiam, vt periuriũ fideles caueant scietes hoc grande scelus esse, nec lenẽ periuris penitentem modum imponendum, talem periurio penitentiam imponi debere noverint, qualis adulterio, & homicidio iniungitur, & qualis ceteris criminibus capitibus imponitur. Hęc ex illo cap. Ex dictis soluitur quæstio, qua queri solet, quina periuri contrahant infamiã pœnam? **Resp.** iure Canonico eos, qui mendacium iure iurando confirmant: eos itẽ, qui fidẽ iure iurando firmam non seruãt: Nec tamẽ oēs huiusmodi periuri statim ipso facto, infamiẽ pœnã incurrit, ita vt officium, Beneficium, Dignita-*

tatem, pœnã ipso iure ciuili cõtrahat? De hac quæstione agit S. Th. 2. 2. q. 98. a. 3. ad 3. Ab. in c. testim. de test. Ang. periur. q. 6. Sil. periur. q. 6. & alij Summistæ in eod. verb. Cou. loc. cit. Glo. in l. Si quis maior. c. De transactio. ait, periurum esse iure ciuili infamè; nã in ipsa dicitur. Si quis promissa, quæ inuocato Dei nomine firmavit, nõ impluerit, nõ solũ notetur infamia, sed etiã actione priuatus existat. At in l. Lucius Titius. ff. De his, qui notantur infamia, videtur statui, periuros non esse inter infames habendos: & l. iurifurandi, c. De reb. cred. dicitur. Iurifuradus contempta religio satis Deũ vltorẽ habet, & l. Stelion ff. de crim. Stelion. iudicium famosũ quidẽ nõ est, sed coercionẽ extraordinariã habet: & in l. De Peri. ff. De crim. Stelio. dicitur: De Periurio si sua pignora esse quis in instrumẽto iurauit, crimen Stelionatus fit, & ideo ad tempus exulat. Hęc iura, & leges. Glossa conciliat sic: Periurus, cuius periuriũ nocet alteri, infamis est, vt habetur in l. Si quis maior. c. De transactio. at qui alteri non officit, sed sibi soli, infamis non est, vt si quis iurauerit se ieiunium seruaturum, vinum non bibiturum, sacrum auditurum, & iurandum non seruet, & in hoc locum habent ceteræ leges. S. Th. loc. cit. ait periurum in iure iuri. a. tertorio infamem non esse, nisi post sententiã iudicis latam contra eum in accusatione: periurum tamen in iure iuri. promissorio soleniter adhibito esse ipso iure infamem. Ab. loc. cit. inquit periurus secundum Canones est infamis, quia Canones infames appellant, quotquot lethali crimine tenentur obstricti: at secundum leges infamis non est periurus in iure iurando a. tertorio, sed in promissorio. Sic etiã docent Bart. in l. Lucius ff. de his, qui notantur infamia. Meo iudicio, si quis in testimonio dicendo coram iudice, aut in contractibus publicè initis, aut in pactis, & fide publicè data, iurandum interpositum violet, infamis canonico iure censetur, aliter non item. Iure autẽ Canonico periurus sustinet pœnã in famiæ: nam in c. Infames, & c. Quicquid, c. q. 1. periuri infames habentur. Ceterum quamuis periuri Canonico iure infames sint: quæ attinet tamẽ (ait Silu. periur. q. 6. ad fin.) ad infamiã irrogandã, & honorũ confiscatione re ipsa exequendã, & pœnã corporis infligendã, necessaria est sententia saltẽ generalis: unde, inquit, licet Tabellio periurus sit, ea tamẽ, quæ faciunt ratione publicè muneris, & officij, quo fungitur, rata, & firma sunt, donec sequatur iudicis sententia saltem de claratoria criminis: nisi forte esset ita notoriam, vt nulla posset tergiversatione calari. Hęc Silu. Itẽ pœna est in iure Canonico constituta in periuros. Quicquid sciens peierauerit 40. dies in pane, & aqua, & 7. annos pœniteat sequentes; & nunquam sit sine pœnitentiã, & nunquã in testimonium recipiatur, cõionẽ tamẽ post hoc recipiat. Hęc in c. Quicquid, c. q. 1. Et in c. Prædicandũ, 22. q. 1. dicitur: Prædicandũ est etiam, vt periuriũ fideles caueant scietes hoc grande scelus esse, nec lenẽ periuris penitentem modum imponendum, talem periurio penitentiam imponi debere noverint, qualis adulterio, & homicidio iniungitur, & qualis ceteris criminibus capitibus imponitur. Hęc ex illo cap. Ex dictis soluitur quæstio, qua queri solet, quina periuri contrahant infamiã pœnam? **Resp.** iure Canonico eos, qui mendacium iure iurando confirmant: eos itẽ, qui fidẽ iure iurando firmam non seruãt: Nec tamẽ oēs huiusmodi periuri statim ipso facto, infamiẽ pœnã incurrit, ita vt officium, Beneficium, Dignita-

tem, vel alia huiusmodi bona dimittere cogantur, donec, vt paulo ante dixit Silu. sententia Iudicis tanquam periuri condemnantur, aut per propriam confessionem in iudicio habeantur periuri, aut ita manifesti, & notorii periuri sint, vt ea, quae publicè faciunt, tanquam irrita, & inania in iudicio repellantur. *In cap. Cùm non ab homine De Iudic. dicitur: Si Clericus in quocumque ordine constitutus in furto, vel homicidio, vel periurio, vel alio crimine fuerit deprehensus, legitimè conuictus ab Ecclesiastico Iudice deponendus est. Ex quo fit, vt periuriū in Clerico sit crimen puniendū pœna q̄. Canones de positione appellat.*

**Octauo** queritur, An infamis censeatur periurus, qui tantummodo fidem alteri priuatim datam violat? *Resp.* tantummodo infamem haberi, qui fidem siue priuatim, siue publicè datam non seruat: Si hoc eius crimen, vel per sententiam Iudicis damnatur, vel per propriam confessionem in iudicio constat, vel per facti euidentiā patet.

**Nondo** queritur, an Clericus periurus, sit ipso facto priuatus beneficio? *Rebut. de pac. possess. n. 218.* ait esse priuatum. *Resp.* ex communi sententia, non esse priuatum, sed per Iudicis sententiam eum esse priuandum. Ita sentiunt, Ioan. And. Abbas, Decius, Felinus, Ripa, Glossa, Ioannes Selua, Lambertinus, quos omnes citat, & sequitur Couar. in c. *quamuis, de pact. t. p. §. 7. n. 3.* nullum enim decretum Ecclesiasticum extat, quo beneficio priuatus ipso iure dicatur.

**Decimo** queritur, an si beneficium Ecclesiasticum periuro Clerico conferatur, sit ratum & firmum, quod sit? *Dux* sunt opiniones, **prima** videtur asserere id ratum esse, quoniam Clericus periurus beneficium, quod habet, non amittit, ergo collatum acquirit. Sic *Feder. consil. 50. Secunda* opinio negat id vim illam habere: quam tuentur Io. And. Hostiensis, & Abbas, quos referunt Ioannes Sel, Lambertinus, Bernardus Dias, vt testatur Couar. loc. cit. *Hæc opinio verior est.* Plus enim requiritur, vt quis è beneficio, quod habet, deiciatur, quam vt à beneficio acquirendo repellatur. Quare, etsi Clericus periurus ipso iure beneficio priuatus non est, non propterea sequitur, vt beneficij sit capax. Animaduertendum tamen est nullam esse beneficij impetrationem siue adeptionem secundum prædictam communem sententiam quando Clericus periurus, in quem beneficium confertur, tanquā talis per sententiam Iudicis condemnatus est, aut per propriam confessionem in iudicio criminis conuictus aut quando per facti euidentiā notorium est crimen: alioqui rata est, & firma: vt ait Couar. loc. præd.

**Vndecimo** queritur, An iusurandum per falsos Deos in contractu, vel promissione positum, seruandum sit, ita vt periurus sit, qui illud non seruauerit. Hanc quæstionem tractat Couar. in c. *quamuis, de pact. in 6. p. 1. §. 1. n. 7.* Innoc. Abb. in cap. *est Christus, de iure.* Et quidam sentiunt esse omnino seruandum, quod colligunt ex Augusti, quem citat Gram in c. *Ecce dico, 22. q. 5.* in hæc verba: *Ecce dico charitati vestrae, qui super lapidem falsum iurat, periurus est. Vnde hoc dico: quia multi, & in hoc falluntur, & putant, quia nihil est, per quod iurant, non se crimine teneri per iurij. Prorsus periurus es, quia per id, quod sanctum putas, falsum iuras. Sed ego, dices, illum sanctum non puto, sanctum putas, cui iur as. Non enim quando iur at, tibi, aut lapidi iu-*

*ras, sed proximo homini iuras ante lapidem. Sed non quid nos ante Deum? Non te audis lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem.* Hæc ex Aug. Vbi duo membra distinguntur, vnum quidem, cum is, qui iurat per lapidē, hoc est, more Gentilium per touem, cui statuae & simulacra erigebantur, & dicabantur, siue per falsos Deos, putat sanctum esse id, per quod iurat cum id non putat. Et in vtroq; censet Aug. periurum esse, qui falsum iurauerit. In primò quidem quia falsum iurat per id, quod sanctum existimat in secundo verò, ex eo, quod falsum iurat per id, quod sanctum credit is, cui iusurandum præstat. Idem videtur dicere Aug. in ep. ad Public. quæ est 154. & refertur in c. *Mouet te. 22. q. 1.* his verbis: *Mouet te certe virum eius fide vtendum sit, qui vt eum seruet, per demonia iurauerit. Vbi te volo prius considerare, virum si quis iurauerit per deos falsos iurauerit, se fidem seruaturum, & eam non seruauerit, non tibi videatur bis peccasse. Si enim tali iuratione promissam custodierit fidem, ideo tantum peccasse iudicatur, quia per sales deos iurauerit, illud autem memo reprehenderet, quia fidem seruauerit: nunc verò, quia iurauit, per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis vtiq; peccauit.* Hactenus Aug. ex cuius dictis constat seruandum iusurandum, quod per falsos Deos interponitur. **Moio** iudicio, si iusurandum quis adhibeat per falsos Deos, quos veros esse existimat, iusurandum verè interposuisse, & periurij crimine teneri eum, qui id, quod iurando promisit, non præstat. At verò si quis per falsos Deos iuret, quos prorsus inanes & falsos esse putat, periurus non est, si datam fidem non seruet, quia iusurandum non posuit. **Quod** autem Aug. dixit nõ ad verum periurium pertinet, sed ad fidei datæ violationem: quæ peccatum est, cum is, qui iusurandum per falsos Deos, quis præstat, grauius lædatur. Ita interpretatur Aug. Couar. loc. cit.

**Duodecimo** queritur, An verum sit, quod ait Aug. in præd. loc. videlicet Ep. 154. & habetur in c. *Mouet te. 22. q. 1.* Minus malum esse per Deum falsum iurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter? *Resp.* hanc Aug. sententiam locum habere in eo, qui iurat per falsos Deos, quos nullos, & inanes esse putat: is enim si fidem non seruet, peccat quidem grauius proximum decipiendo: sed nõ peierando. Qui verò fallaciter iurat per Deum verum, periurus est. Sed qui iurat per falsos Deos, quos veros esse arbitratur, quamuis veraciter iuret, grauius tamen peccat, quia cultum vero Deo debitum tribuit Idolis. Vnde in hoc Augustini sententia minimè locum habet: vt Couar. loc. cit. annotauit.

**Decimotertio** queritur, An liceat Christiano ab homine ethnico iusurandum accipere, & exigere, quem scit per falsos Deos iuraturum? *Resp.* ex Aug. in cap. *Mouet te. 22. q. 1.* id licere facere, ait enim: *Qui iuratur fide illius, quem constat iurasse per Deos falsos, & iuratur non ad malum, sed ad licitum, & bonum, non peccato eius se sociat, quo per demonia iurauit, sed bono pacto eius, qui fidem seruauit.* Sic ibi Aug. qui licet sermonè habere videatur solum de eo, qui petit ab ethnico, vt quoddam per falsos Deos iurando promissum sit, seruet, ac præstat; ratio tamen in vtroq; idem iuris esse concludit: Nam sicut ab ethnico, & impio non petimus, vt iusurandum per falsos Deos positum seruet, sed vt promissum exoluat, sic etiam ab eo non postulamus, vt iuret per falsos

Deos, sed tantum, vt iuret. Vnde petimus id, quo bene, si velit, vt debet, vt potest, vt docet Couar. loco *prædicto*.

Cap. XII.

DEVOTO.

Quid sit votum, & quidnam ad eius substantiam, & naturam requiratur.

**D**e voto tractant Theologi in 4. d. 38. nempe S. Th. Bonau Ricar. Palud. Supplement. Gabr. & Mai. *ibidem*. Canon. 17. q. 1. 2. 3. & 4. & de voto, & voti redempt. Summist. in verbo *votum*. Al tisso. in Sum. lib. 3. tract. 23. S. Tho. 2. 2. q. 88. Sotus li. 7. de Inst. 4. d. 38. q. 2. Astenfis lib. 1. tit. 20. Anton. p. 2. tit. 11.

Primo queritur, quid sit votum, & quomodo à promissione distinguatur? Respon. votum dici, & esse, quod Deo fit, vnde est proprie actus religionis, quæ Deo iustum, ac debitum cultum tribuit: quoniam ei vota nuncupamus, vt bonorum omnium largitori, vel pro beneficijs acceptis, vel pro imperandis. Promissio verò dicitur, quæ ali quid homini pollicemur. Quo fit, vt votum sit promissio, & sponso Deo facta: pollicitatio, quæ fidem nostram homini damus, generale nomen sortita, promissio nuncupatur: nam aliquâ do formæ generis nomen tribuitur. Hinc est, vt teste S. Th. 2. 2. q. 88. a. 1. promissio fieri, aut consistere nequeat absq; verbis, vel signis, aut nutibus verborum locum tenentibus: at votum Deo fieri potest sine vllis verbis, aut signis externis. Promissio itidem, vt docet idem S. Th. 2. 2. q. 88. a. 5. ad 3. potest esse voti materia, nam si promiseris pauperi aliquam pecuniam, potes insuper vouere Deo, te eam pecuniam pauperi largiturum.

Secundo queritur, quæ, & quot ad voti substantiam, & naturam sint necessaria? Respon. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 1. Cai. ib. Sot. l. 7. de Inst. q. 1. a. 3. Nauar. in Mor. c. 12. n. 24. Anton. p. 2. tit. 11. c. 2. primum opus esse, vt votum ex animi deliberatione fiat: Deinde, vt is, qui votum facit, in animo habeat & constituat promittere, vel se Deo promittendo obligare. Tertio, vt non solum statuat, atq; decernat promittere, sed reuera promittat. Quarto, vt res voto promissa, & dicata Deo, bona sit, hoc est, quæ fieri iure possit. Postremo, vt id, quod vouetur, non solum bonum, sed melius etiam sit atq; præstantius, vt inferius explicabo. Votum igitur necesse est, vt sit promissio scienter, & sponte facta. Appellatione deliberationis autores intelligunt notitiam, & iudicium rationis: nomine Propositi accipiunt voluntarium animi actum, vt votum sit promissio Deo facta ex iudicio rationis, & proposito voluntatis.

Tertio queritur, quam, & quantam animi deliberationem votum requiratur, ac poscat? Respon. ex communi omnium sententiâ quam habent S. Th. Cai. Sor. loc. cit. Ricar. 4. d. 38. l. q. 2. & Nauar. c. 12. n. 24. Anton. p. 2. tit. 11. c. 2. eam postulare, quæ plenum rationis iudicium continet. Ea autem ea lis est, qualis, vel ad meritum, vel ad letale peccatû sufficit, vt optime Caiet. explicuit. Nec plena deliberatio in præsentia accipitur ea, quæ prævideatur tota promissæ rei difficultas, vt inferius expona: sed dicitur plena, quæ is, qui vouet, iudicis,

ac volens, spondet, ac pollicetur, ita vt planè videat, & animaduertat, ac velie se vouere. An verò votum ira, merore, dolore, aut aliqua alia subitanea animi perturbatione susceptum sit ratû & firmum, statim dicemus.

Quarto queritur, An ad votum præter animi deliberationem, voluntatis quoq; positum sit necessarium? Respon. ex cõi omnium sententiâ, vt cõstat ex S. Th. Cai. Sor. Nau. Ant. loc. cit. id opus esse. Propositum autè est voluntas promittendi aliquid Deo. Vnde Canonici iuris quidã interpretes, videlicet Ab. senior in c. *Literaturâ, de vot. & voti red.* vt refert ibi Ab. iunior: dixerunt vocû primò inchoari, deinde confirmari, post consummari, & perfecti. Inchoatur, inquit, per deliberationem, cum quis primum decernit polliceri Deo: Confirmatur per propositum, quo quis in animo habet, & statuit vouere, siue promittere: Consummatur p̄ promissionem, quæ quis suam Deo fidem obstringit, sese Deo obligat. An verò is, qui vouet nõ habens in animo efficere quod promittit, aut nolens se Deo obligare, voti vinculo teneatur, post ea dicetur. **QVÆRES**, quid significetur, nomine Propositi, & quo à Deliberatione distinguatur? Cai. Deliberationem accipit actum siue iudicium rationis, quò quis scièter deliberat facere, quod promittit. Propositum intelligit actum voluntatis, quo spõte statimus id facere, & exequi, quod promittimus, ita vt votû sit promissio Deo facta ex deliberatione, siue iudicio rationis, & proposito voluntatis, quum iudicamus nos facturos, q̄ promittimus & decernimus id nos facere. **Ceterum, Respondeo** significari ea voce voluntatis actum, quo vouens certo & firmo animo apud se statuit promittere, siue vouere. Vnde à deliberatione differt, quoniam qui vouet, primum decernit vouere, deinde vult vouere, vel promittere.

Quinto queritur, An votum solo animi proposito perfici queat? Canonici iuris Doctores veteres, Hugo, Bernardus, Gofredus, Laurentius, Alanus, Tancredus, & cum eis Innocentius, Hostiësis, & Glossa, vt refert Abb. in c. *Literaturâ, de vot. & voti red.* docuerunt, ad votum duo tantum sufficere, deliberationem, & propositum. Hanc sententiam inter Theologos sequuti sunt Palu. 4. d. 38. q. 1. a. 1. §. *sed quia*. Anto. p. 2. tit. 11. c. 2. idq; probare conati sunt ex c. *Consulti, de Regul.* vbi Põrrix ait: *Si is, qui conuertitur, proposuerit absolute vitam mutare, vt sub habitu regulari omnipotenti Deo de cetero sanuletur, decet, vt regulariter viuat, ad laxiorem saltem vitam perire: sic.* Hæc ibi: Item, in c. *Beneficium, de Regular. in 6.* statuitur, vt Nouitij beneficium nulli conferatur, nisi eius accedat assensus, aut constet eum vitæ rationem absolute mutare voluisse, aut professionem expressè, vel tacitè fecerit. Et in c. *Qui bona, 17. q. 1.* dicitur: *Qui bona agunt, si melius agere deliberent, post deliberatã non faciant, licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione.* Itẽ in c. *Statuimus, de Regul.* habetur. Nouitios posse liberè ad sæculum redire, nisi euidenter appareat eos absolute voluisse vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino deseruire. Idem colligitur ex c. *Non solû, de Regular. in 6.* & ex c. *consuluit, qui cler. vel vouens præsertim adiuncta Glossa, in verbo habitum: & Luc. 9.* ait Dominus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, apertus est regno.* Genes. etiam 19. v. 6. &

Loth liberata ab incendio, & respiciens retro: cōuerſa eſt in ſtatuam ſalis. Item, in Regula Iuris, *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* At verò S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 1. perſpicue tradit votum tria requirere, Deliberationem, Propoſitum, & Promiſſionem; & votū promiſſione perfici, non propoſito. Sic etiam Bona uent. 4. d. 38. a. l. q. 1. Ricar. 4. d. 38. a. 3. q. 3 atq; hæc eſt cōmunis Theologorū ſententia: cui etiam aperte ſubſcribunt inter Pontificij iuris interpretes Archi. in ca. *Qui bona* 17. q. 1. Abbas in cap. *Literaturam*, De voto, & vot. Silueſt. votum 1. q. 2. Angel. votum 1. q. 7. Nau. in *Man. c. 12. n. 26. verſ. Sexto infertur*, licet quidā aſſerant in hoc, Pontificij iuris interpretes à Theologis diſſidere, quòd illorum opinio ſit votum propoſito perfici, Theologorum verò promiſſione, non propoſito. *Quæ ſententia* (Theologorum inquam) reuera ex utroq; iure Canonico, & Ciuili colligitur. Nam in c. *Literaturam de voto*, & *voti redempt.* cum rogaretur Pontifex de quodam, qui mortis pauore perterritus, hæc uerba protulerat: Non diu hic morabor, proponens in animo, ut ibi dicitur, quod Religionis habitum eſſet aliquādo ſuſcepturus: Reſpondit, *ſi plus non eſt in voto proceſſum, tranſgreſſor iudicari non poterit, ſi non impleat, quod dixit.* Hæc ibi. Et ſ. *De pollicitat. l. ſi quis rem*, & *l. Paſſi eſt*, aperte dicitur, Pollicitationem eſſe promiſſionem offerentis, & pollicitatione quempiam ei, cui pollicetur, obligari. Sed uouere, eſt aliquid Deo polliceri, ergo votum eſt pollicitatio quædam & ſponſio. Quare, ut rectè ait Abbas in c. *Literaturam*, De voto, & *voti redempt.* opinio S. Tho. in hac parte multas Theoricas Canonistarum euerit: & oportet, ut cum iura teſtantur, propoſito quempiam obligari, intelligant propoſitum promiſſione firmatum: Panormitanum ſequuntur etiam Silueſter, Angelus, Nauarrus, *locis diſtis.* **Objicies**, ſi quis ex propoſito discernat aliquid facere, & poſtea id non faciat, reus eſt violati propoſiti: item mendax eſt, ergo ſolo voluntatis propoſito ſe obligauit. Reſpondeo his uerbis, Faciã hoc, non ſignificatur in præſenti negotio, hoc ita erit, ſicuti prædico; ſed in animo habeo hoc facere. Vnde nullum mendacium admittit is, qui dicit, Faciã, ſi in animo eius ſit facere; deinde verò, ſi mutata voluntate non faciat, non ideo mendax fuit, cum dixit ſe facturum. Nec itè promiſſionis, aut voti violator eſt, quoniam nulla ſe alteri promiſſione obſtrinxit, ut manifeſtè liquet ex communi uſu loquentium: nam sæpe dicere ſolemus, Hoc tui gratia faciã, ſed fidem non obligo, non promitto. **Sciendum** tamen eſt, apud homines uerbum, faciã, præſertim in contractibus, vim promiſſionis, & obligationis interdum habere: ita ut non ſolum ſignificet, Eſt mihi animus facere, ſed etiam, Promitto me facturum. **Ad iura** verò ſupra oppoſita reſpondeo, præter id, quod dixit Abbas, fortassis ea uoluiſſe, ut votum habeatur iuris fictione; non re ipſa, ſolo animi propoſito ſine vlla promiſſione factum, & tunc ea iura locum habebunt in dubio, non cum conſtat, promiſſionem penitus deuiſſe.

**Sexto** quaeritur, An ſola Promiſſio ad votum ſufficiat? Ioan. And. ut teſtatur Abbas in cap. *Literaturam de voto*, ait ſola promiſſione rationem voti conſtitui: quam ſententiam Abbas ipſe conſu-

rat. Si enim quis Deo polliceatur ſine vlla animi deliberatione atque propoſito, votum non facit, quia nihil Deo uouere conſtituit. Sed immeritò reſutauit: nam quum Ioan. Andr. docet in ſola promiſſione votum conſiſtere, non excludit rationis iudicium, ſiue deliberationem & propoſitum voluntatis, quæ duo promiſſionem, nature ordine, antecedunt, ſed excludit alia, quæ ſolent promiſſionem comitari, vel conſequi: qualia ſunt oris pronuntiatio, teſtes, Syngrapha, Chirographum, ſiue teſtimonium literis conſignatum, & alia ſimilia.

**Septimo** quaeritur, An præter hæc tria, Deliberationem, Propoſitum, & promiſſionem ad voti ſubſtantiam requiratur oris pronuntiatio, teſtium præſentia, ſcriptum teſtimonium, vel ſolemne aliqua iuris formula? Reſpondeo, non requiri: quia votum Deo ſit, non homini: Deus autem intuetur animum uouentis, & acceptum, ac ratum habet voluntatis conſenſum. Apud homines itaque, ut vnus fidem ſuam alteri adſtringat, neceſſe eſt, ut eius conſenſus uerbis, aut nutibus exprimat, ut Deo tamen non ipſi voti religione obligemus, ſatis eſt, ſi animo ſcietur, & ipſe ei quippiam promittamus.

**Octavo** quaeritur, cuius facultatis actus ſit votum, Rationis, an Voluntatis? Dux ſunt opinionum; prima docet eſſe actum Rationis: ſic opinatur S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 1. Caiet. ibi. *Sot. lib. 2. de Inſt. q. 1. a. 2.* & alij S. Thomæ discipuli, quia imperare, inquirunt, orare, petere, & uouere, ſunt Prudentiæ actus, cuius eſt vnum ad alterum referre, & dirigere. Nam qui imperat, præſcribit, & denunciat inferiori, quid ſit ex obligatione facturum. Qui orat, petit à Superiore, quod optat, ut ipſe Superior efficiat, & petendo denūciat ei, quod uelit, ut ipſe Superior faciat, qui ꝑmittit, declarat, & denūciat ſuperiori, vel pari, quid ſit ex obligatione ipſe facturum in honorem, cultum, vel commodum iþſius, cui ꝑmittit. **Secunda ſententia** ait eſſe actum Voluntatis, cuius eſt ſe alteri obligare. **Prima opinio** putat votum eſſe actum rationis, quo quis denūciat, & exprimit obligationem, qua ad aliquid faciendum ſe obligat, ita, ut votum, ſit certa Rationis denūciatio cum obligatione voluntatis coniuncta: vel obligationem afferens.

**Secunda opinio** cenſet, Votum eſſe voluntatis actum, quo Voluntas ſe Deo ſubijcit, & obligat ex Rationis deliberatione, & denūciatione, ita ut Voti ſubſtantia, ſit voluntatis actus ex Ratione tanquam ex antecedente cauſa progenitus. Conuenit inter omnes, in Voto actum ueritæ que facultatis contineri. Sed liſ eſt, an Votum ſit Rationis denūciatio obligationem pariens, vel afferens, an verò potiùs voluntatis actus ex Ratione, ut cauſa profeſtus? **Sed parum** reſert hanc aut illam opinionem ſequamur: eſt enim hæc nõ actiõnis, ſed ſpeculationis quaerſtio. Compertum eſt omnibus, in voto eſſe deliberationem, & iudicium rationis, & propoſitum voluntatis, & obligationem, quæ ex uoluntate ſurgit, ac profia it, & expreſſionè ſiue denūciationè obligationis, quæ per rationem interius ſit. S. Th. opinatur votum eſſe actum rationis, quo quis ſuæ voluntatis obligationem exprimit, & denūciat interius Deo, cui uouet.

Nonò queritur, An qui Deo aliquid promittit, cum in animo eius non sit se Voto obligare, Voti vinculo adstringatur? Respondet deo, eum, qui vouet, multis modis posse vouere. Primò promittendo, cū tamen animus eius sit nihil promittere: & omnes consentiunt, hunc hominem vouentem nullo Voti vinculo teneri: quoniam ficta est, & simulata tota promissio. Secundò potest quis promittere Deo, habens quidem in animo promittere; & obligare se Deo, cū tamē animus eius nō sit prestare promissum: Et inter omnes etiam constat hunc hominem se promittentem Voto obstrictum teneri: si quidem verē promissit, & sese Deo obligauit. Tertiò, potest quis vouere, habens quidem in animo vouere, sed nō se Deo promissione obligare, Et de hoc tota est questio; an Voti vinculo deuinctus sit? Dūz sunt opinionēs. Sot. lib. 7. de iust. q. 1. art. 2. & quidam alij iuniores sentiunt huiusmodi hominem Voto obligari, quoniam obligatio tanquam effectus quidam necessariò ex ipsa promissione surgit, ac profuit: nec potest quis Deo promittendo obligationem impedire, & prohibere ne ex promissione manet. Alij verò multi, videlicet Gloss. in c. Literarum cit. Silu. Iuramentum 4. q. 19. Angel. Votum 1. q. 7. Nauar. in Man. cap. 12. n. 27. & Bonau. 4. d. 38. art. 1. q. 1. & 3. dist. 39. a. 3. q. 1. Ricar. 4. dist. 38. art. 3. q. 3. & 3. d. 39. a. 2. q. 1. videntur docere nullum esse huiusmodi Voti, quod probant; quia leges, Canonēs, & iura planè decernunt neminē se alteri obligare nisi volentē, *vt colligitur ex l. obligationum, ff. De actionibus, & obligationibus.* Deinde, Votum est veluti quaedā priuata lex, quam sibi quisq; fert, & qua se alteri obligat: at lex neminē tenet; ac ligat, nisi Princeps qui eam tulit, velit, vt ea teneatur.

In hac questione primò mihi videtur dicendū: Si quis vouit Deo sciens, ac volēs, cū nihil tamen cogitet, se obliget, necne, voti nexu, & vinculo tenetur: & hac ratione existimo opinionē Soci esse verisimā, quoniā ex ipso Voto obligatio nascitur, ac fluit. Deinde, si quis vouet, nolit se voto obligare, est probabile quod auctores ceteri tradiderunt, eū voto non adstringi: quia cum simul vouet, nolēs se tamē Voto obligare, eo ipso, videtur volūtate mutare, & à vouēdo recedere: ita vt perinde sit, ac si vouere nolit: hoc enim est, quod alij auctores videntur voluisse, & hoc eorū rationes, & argumenta conficiunt; omnis enim promissio ex animo, & voluntate promittentis vim habet, sicut omnis cōtractus ex volūtate cōtrahentiū, & lex ex mente, & voluntate Principis: ad rationem voti videtur pertinere, vt si voues, habeas voluntatem te voto obligandi.

Decimò queritur, an Votū soli Deo fiat? Questio hōe mouet quoniā in Religionū institutis cū Religiosi regulā solem in ritu profitentur; Votū Deo nūcupant in hūc modum: Deo, & B. August. vel B. Francisco, vel B. Dominico, vel B. Benedicto, & tibi Priori, vel prapposito Prouinciali, vel Generali, & tamen Votum, actus est religionis, quæ Deo cultū, & honorē debitū tribuit. Hanc questionem supra dissoluimus, vbi diximus: Votū Deo fieri, in presentia tantum sanctorum, qui vt reſtes, aduocati, & patroni adhibentur, vt quæ promittimus, facilius, commodiusq; prestemus.

Item vouemus sanctis cæli habitatorib. & Religionū Præfests tanquā locum Dei tenentibus Dei vicē gerentibus: Sed Deo votū fit in honorem, & cultū eius, quoniam ei vota facimus tanquam Votorū, & omnium bonarū cogitationū satori, largitori, & auctori. Vota enim nūcupamus Deo, vel vt ab eo boni aliquid impetremus, vel vt pro summis in nos beneficijs debitas gratias ei, & agamus, & habeamus. S. Tho. 2. 2. q. 88. a. 5. ad 3. votum, inquit, *quo quis vouet aliquid Sanctis, vel Præfests intelligendum est, in hunc modum, vt ipsa promissio facta Sanctis, vel Præfests cadat sub voto materialiter in quantum scilicet homo vouet Deo se implendum, quod Sanctis, vel Præfests promittit.* Sic ille. Votum igitur Deo fit, Sanctis verò cælis incolis, aut Religionū Præfests fit tanquā Dei ministris, ipsius locum tenentibus: Deo fit iure; & nomine ipsius, hominibus verò fit nomine Dei.

## Cap. XIV.

## De re, &amp; materia Voto subiecta,

Sciendum est, omnes conuenire, rem necessariā, aut quæ nullo modo fieri potest, nō posse in Votū cadere. Neque enim vouere Deo potes te moriturū, aut te sydera, aut arenam maris numeraturū, aut cælū ipsum manu tacturum: nā siue rem necessariā, siue impossibilem voueas, votum est stultū, & insanū. Præterea vouere, quis nequit id, quod absque lethali peccato fieri non potest. Si enim voueas rem, quam citra grauem culpam facere nequis, Votū est iniquum, & impium: Vt si spondeas Deo te homicidiū, furtum, vel adulteriū, aut aliud maleficiū commissurū. Res item, quæ citra veniale delictū admitti nequit, Voti materia esse non potest: nec item res, quæ suapte natura media est, & indifferens. Si enim quis voueat se iocofum officiosum, mendacium, vel ociosum verbum diciturū, Votū est iniquum. Stultū verò est, si quis voueat se sabbato, aut certo alio die vngues præcisurum, aut festucam, vel paleam è terra leuaturum: aut purgaturum aures extremo, & minimo digito.

His positis primò queritur, an res alioqui vt præcepti debita, voueri queat? S. Tho. ac ceteri Theologi, item Canonici iuris interpretes, & Summistæ docent, in votū cadere non posse, quæ alioqui præcepta sunt. Neque enim vouere quis potest, se mutuum, depositum, commodatum suo domino redditurum: nec item se Deo pro peccatis satisfaturū, aut erogaturū elemosynā homini, ad extremā inopiam redactō. Præterea is vouet, qui se Deo obligat: Sed qui alioqui est legibus adstrictus, minimè se deuincit, & obligat, hoc videtur colligi ex S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 2. & 4. d. 38. q. 1. art. 1. Anto par. 2. tit. 11. c. 2. Paluda. 4. dist. 38. q. 2. art. 1. in diuisione voti. 5. Mai. 4. d. 38. q. 1. Silu. votum. 1. q. 5. Cai. 22. q. 88. Nau. in Man. c. 12. n. 25. Dur. 4. d. 38. q. 1. n. 6. Sot. lib. 7. de iust. q. 1. a. 3. Tab. voti 1. §. 2. notandū, Ric. 4. d. 38. a. 3. q. 3. Bonau. 4. d. 38. a. 1. q. 2.

Cæterum ex altera parte, eorum, quæ huic sententiæ videntur obstare, Primū est quia sæpe Vota Deo nūcupata renouamus, & potest quis Votum semel Deo factum millies confirmare. Alterum est, quia nihil impedit, quo minus quis se denuo Voti religione obstringat, vt id faciat,

ad quid alioqui faciendum præcepto, ac lege cõpellitur. Possumus enim esse alteri obligati duplici lege, duplici iure, & nomine, & vinculo. Deus enim nos sibi suis legibus deninxit, & nos ipsos ei pariter Voti nexu, & vinculo obligamus; & Iacob Gen. 27. vouit Domino se eum, vt Deum veneraturum. Vnde qui castitatem Deo promissam adulterio violat, & est diuinæ legis violata, & voti fracti reus, & proinde sacrilegus. Errauit Tabiensis loco supra citato. oppositum docens, nam Antoninus, Paludanus, Durandus, Siluester, Maior, Nauarrus, & reliqui expressim id, quod dixi tradiderunt. Negari igitur non potest, quin res alioqui imperata in Votum cadere possit, quatenus de nouo nos ipsi obligationis nexu obstringimus, vt eam faciamus. Quod autem communis opinio tradit, quæ præcepta sunt, voueri non posse: intelligitur, non posse nos ad ea faciendâ obligari, quasi adstricti minime fuerimus: at qui hoc nihil impedit, quin possimus aliud obligationis vinculum apponere, quo antea non tenebamur. hic enim obligationis nexu in nostrâ est potestate, nec in præceptum cadit. **Obijcies.** S. Thomam dicentem in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. materiam voti propriè non esse rem alioqui lege imperatam, sed tantum consilium: & votum de re præcepta nobis, nõ esse propriè, sed latè votum. Respondeo, non significare S. Thomam eiusmodi votum esse impropiè, siue per Metaphoram, Analogiam, aut similitudinem votum; sed non esse votum propriè, hoc est, non esse solum votum; sed etiam præceptum: & cum ait rem imperatam non esse voti materiam, significat, non esse solum materiam voti; sed etiam esse præcepti materiam: at res, quæ in consilium cadit, est propriè materia voti, id est, solius voti est materia, non præcepti, vel legis, proprium aliquando vocamus, quod nõ est multorum commune, sed quod vni solum conuenit, licet illi verè conueniat.

**QVAERES,** An qui votum semel factum postea repetit, redintegrat, & confirmat, nouè se obligationis vinculo adstringat: sicut qui re diuina lege imperatam Voti religione promittit? **Resp.** in hunc modum: is, qui votum confirmat etiam centies, ac millies, nullam obligationè distinctam suscipit: sed veterem tantum renouat, vt se ad pristinum votum soluendam promptiorem, hilariorem, firmioremque reddat; ac proinde quamuis Votum millies confirmatum negligat, vnum tantum peccatum admittit; at vero qui rem alioqui lege, aut præcepto imperatâ, & Voto promissam contemnit, duplex peccatû contrahit, vnum quidem, dum legem perfringit, aut præceptum omittit, aut violat; Alterum verò, quia votum, quo se obligauit, nõ seruat; qui enim castitatem vouit, si rem habeat cum femina, duplici se crimine polluit, libidinis scilicet, & sacrilegij prauitate. **QVAERES** deinde, an qui vouerit se eleemosynam pauperibus daturû, & eam dederit Titio in extremâ inopiam redactò, Votum persoluerit? **Resp.** persoluisse: quoniam si, cum vouit, nihil aliud expressit, inter pretari decet eum vouisse daturum se eleemosynâ pauperi, siue ad eam elargiendam præcepto compelleretur, siue consilio moueretur: secus foret

si in animo eius fuerit eleemosynam dare, quibus erogare nullo præcepto, ac lege cogebatur. **QVAERES** postremo: Quid iudicandum sit, si Sacerdos Titio poenitentiam iniunxerit, vt certam eleemosynam largiatur, an officio satisfaciatur, si eleemosynam dederit, quâ voto erogare debebat? **Resp.** cû Sacerdotes poenitentiâ imponunt poenitentibus, eas solent intelligere, quæ nõ sunt alioqui debite, ac proinde Titii Sacerdotis præcepto minime satisfecisse arbitramur.

**Secundò** queritur, An Votû, quod Deo Iephte fecit Iudic. 11. fuerit sultum, & temerarium, crudele, & inhumanum? quod est querere, An Iephte vnicam filiam suam virginem Deo cade immolauerit? **Difficillima**, inquit August. in questionibus super librum Iudicum. q. 49. hoc est, lib. 7. questionum in veteri testamentum, est questio de Voto Iephte: & postquam multa tradidit, eadem concludit, eum & in vouendo fuisse temerarium, & in soluendo inhumanum. **Ambrosius** verò lib. 3. officiorum cap. 12. Numquam adducit, ait, vt credam, non incensè principem Iephte promississe, vt immolaret Domino quicquid sibi reuerenti intra limen domus sue occurreret. *Dura promissio, solutio acerba. Non possum accusare virum, qui necesse habuit implere quod vouerat. Sed miserabilis necessitas, quæ soluitur per rictum.* Hierony. item in Hierem. c. 7. dicit. *quod si obtulit Iephte suam virginem Deo, non sacrificium placet, sed animus offerentis. Neque enim si caeca, aut asinus, aut immundum animal primum occurrisset patri à caede hostium reuerenti, Deo illud offerre debuerat.* Danique cõmunis est veterum Doctorum sententiâ, Iephte, vt Votum quod Deo fecerat, persolueret, filiam suam immolasse. Sic Chrysostr. hom. 14. ad pop. Antioch. & homil. de Iephte. Orig. tom. 9. in Ioannem. Tertul. lib. 3. contra Marcion. Iustinus martyr. q. 99. Nazianz in orat. de laude Macha, quæ est vratis. 22. Iidor. in Allegor. in scripturam & de vita, & morte Satharum. Beda in lib. questionum super librum Iudicum cap. 7. Rupert. de Trin. & operibus eius, in lib. Iudi. cap. 17. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Iacobi supra citati & inter Hebræos Iosephus, & alij veteres, quorum sententiæ Scholastici Theologi accipiuntur, in 4. dist. 38. & S. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 2. ad 1. immo Augustinus, & Chrysostr. Votum eiusmodi factum Iephte mysticè interpretantur, vt typû, & figuram rei sanctæ.

**Nihilominus** tamen Lyranus, & quidam alij iuniores Catholici Rabbinos Iudæorû recentiores sequuti, tradiderunt, Iephte nequaquã filiam suam morte damnasse: nec eum in vouendo sultum, & temerariû, nec in reddèdo Voto crudele, & inhumanû fuisse; aiunt enim, Votû Iephte tale fuisse, vt promiserit quicquid sibi ex bello cû victoria redeunti è foribus domus suæ primû occurrisset, se illud Domino oblaturû, videlicet si tale fuisset, quod offerri posset: aut Domino immolaturû, si res esset talis, quæ immolari posset: & deinde cû filia eius vnica virgo primû occurrisset, consecrata est Domino: quia domi inclusa est, vt per petuò virginitem seruaret innupta, explicabo primû horum auctorum sententiâ, mox quid sit de tota hac controuersia dicendum.

In hac quæstione duò cõnecto. **Vnû** est, An ex sacris litteris enideret, & certo colligatur, Iephte suã filia Domino immolasse. **Alterû**, an Sacras

V. 2. 1. 1. 1.

litteras

litteras oporteat interpretari in eum sensum, ut dicamus Iephthe filiam cæde mactasse. Quod at tinet ad Hebraicam lectionem, ex ea elici euidenter nequit, Iephthe filiam immolasse: nam ubi vulgata editio Latina Iephthe Votū exponit hoc modo: *Si tradideris filios Ammon, in manus meas, quicquid primum fuerit egressus de foribus domus meæ, mihi que occurrerit reuerenti cum pace à filijs Ammon, eum holocausti offeram Domino.* Hebraica lectio habet. *Et erit Domino, & holocaustum offeram Domino.* Vbi videtur Votū Deo factum fuisse cum conditione per dis iunctione: nimirū, quicquid è foribus domus meæ mihi primum occurrerit: vel, (erit Domino) id est, consecrabitur tanquā destinatū ad vsus, & ministeria diuina, vel in holocaustū offeretur; quod si res fuerit oblatione digna, offeretur, sin minus immolationem iactabitur. Multa enim immunda poterat primum occurrere, quæ tamen si nec offerri Domino, nec immolari fas esset, poterat tum pecunia redimi, quæ inferretur in templū: apud Hebræos enim coniunctio copulans, sæpè est desungens; Exèpli causa. Exod. 20. in Hebræo dicitur: *quicquidque maledixerit Patri, & Matri, morte moriatur,* ubi latinus interpres rectè vertit: *quicquidque maledixerit Patri, vel Matri.* Deinde cū Iephthe filia domo egressa dixisset, *Hec me, filia mi, aperui os meū ad Dominū, & aliud facere nō poterō:* respondit filia, *Pater mi, fac mihi quodcūque pollicitus es.* Hoc saltem mihi presta, quod deprecor, *Dimitte me, ut duobus mensibus circum am montes, & plangam virginitatem meā cū sodalibus meis.* ubi tēpus petiuit filia, non ut plāgeret vitam suam, sed virginitatem; quod si immolata Domino est, viq; petere debuerat, ut vitam suā deploraret. *Præterea,* subiungitur: *Et fecit ei sicut voverat: quæ ignorabat virum, quasi diceret, Consecrauit eā Domino, quia domi eam inclusit ab omni hominū conspectu, coniugio, & commercio sepositam.* Et propterea subiicitur: *quæ ignoravit virum, quod est dicere, mansit innupta;* cū tamen nuptiæ, & liberorum susceptio tunc temporis, apud Iudæos in magna se licitate haberetur. *Postremò* additur: *Exinde mos inreuit in Israel, & consuetudo seruata est, ut post anni circulum conueniant in vnum filia Israel, & plangant filiam Iephthe Galaaditæ diebus quatuor.* ubi verbum Hebraicum quod Latinus interpres vertit, *plangant,* ambigū est significationis, & significare pōt narrare, alloqui; nam Iudic. 3. idem verbum latinus interpres reddidit: *Ibi uarentur iussus Domini:* ita, ut ob id, quod filia Iephthe Domino consecrata, & in domum inclusa, in mœrore, & tristitia erat, aut saltē ab hominum conuictu, & consuetudine seiuncta, ac separata, quotannis cæteræ puellæ, ac Virgines eam inuiserent, apud eam quatuor dierum spatio commorarentur, cū ea colloquerentur ad cōsolandum eam. Nā si Domino iam immolata perierat, vnde nam factum est, ut cæteræ puellæ in vnum cogerentur quotannis, & eam quatrinduo plangerent, cum eiusmodi morem nusquam in scripturis legamus. *Et cum* hac sententia maxime conuenit id, quod scriptura eodem c. r. paulo antè dixerat, *Factus est ergo super Iephthe spiritus Domini, & circum cubat Galaad, & Manasse Maspha quoque Galaad, & inde transiens ad filios Ammon, Votum vovit Domino, quibus verbis innuitur Votum Deo nuncupasse Iephthe instinctu ipsius Dei: & ad Hebr. 11.*

inter cæteros Sanctorum, Iephthe quoque connumeravit Apostolus. Neque vero, hæc opinio cum vulgata editione videtur, inquit Lyranus pugnare. Nam etiam si in Voto Iephthe solum exprimantur ea verba: *Eum holocausti offeram Domino,* potest tamen is locus per metaphorā accipi, ita ut nō de morte naturali, sed civili intelligatur, quæ is, qui in totum Deo consecratur, ab omni hominum vsu, & consuetudine semotus immolari dicitur. Et quod deinde dicitur, *Fecit ei, sicut voverat,* id significat, eam morte civili immolauit. Quod etiā in sine capitis dicitur, *Filias Israel* quotannis conuenire solitas, ut plangerent filiam Iephthe non eo quidem tendit, ut significet illas defuisse eam cæde mactatam, sed nuptam, & prolis successione priuatim, ac domi inclusam. *Cæterum* quicquid sit de Hebraica lectione, & vulgata editionis Latine sensu, quem per Metaphoram Lyranus expressit saltem negari nō potest quin veteres Ecclesiæ scriptores, & Patres tr adiderint, Iephthe, ut votum impleat filiam suam cæde immolasse. Et quia scripturas interpretari debemus iuxta sanctorum Patrum vnanimen sententiam, huic potius sententiæ adhærendum existimo, quod si Patrum in hac parte sensus minime obstarat, mihi sanè, ut verum fatear, Lyrani Sententia probaretur, quæ tanti viri votum, & à temeritate stultitiæque, & ab impietate crudelitateque liberum defendit. At constans Patrum opinio plus ponderis, & momenti habere debet, quam Lyrani, & aliorum iuniorum sententia. Placeat mihi quod de hac rescripsit Antonin. p. 2. tit. 11. cap. 1. §. 2. ubi postquam Lyrani sententiam proposuit, subiicit. *Sed ex quo Doctores communiter, tenent, quod corporaliter eam occiderit, & ipsum reprehendunt de parricidio, non debemus sapere plusquam oportet sapere, ut admonet Apostolus ad Ro. 12. quod sit, dum quis doctrinis ab Ecclesia approbatur, & que communiter tenentur, non acquiescit nouas inueniens, quod probetur in cap. relatum d. 37. Sic ille.*

Tertio queritur, An in Baptismatis susceptione Votum verè, & propriè faciatis, qui vitalibus, & salutaribus aquis abluuntur, quo Dei, & Ecclesiæ præcepta se seruaturū promittat Veteres Theologi vnà cū Magistro Sententiarū videtur asserere 4. d. 38. cū quis salutaris baptismi vnda mūdatus, Christianæ religionis institutis imbuuntur, eū Deo votum nūcupare, quia solemniteru Christi fidem, & religionem profiteretur: & eo ipso, quo baptismū percipit, sese Ecclesiæ obligat ad eius præcepta seruanda, Cathecumenus enim nullis adhuc Ecclesiæ legib. astrictus postquam Sacro fonte perfunditur, præceptis Ecclesiæ tenetur. At verò probabilius est, quod Caiet 22. q. 88. a. 2. d. 2. Sol. lib. 7. de Inst. q. 1. a. 2. ad 1. Ricar. 4. dist. 38. art. 3. quest. 2. tradiderunt, in Baptismo votum propriè non fieri. Nam qui percipit Baptismum, solum ait: *Volo Christo adiungi, volo cū Christianis sociari, Credo in Christū, renūcio Satanæ, & pompis eius;* quibus verbis votū propriè non suscipitur. Deinde, quia alioqui Christiani quoties Dei, vel Ecclesiæ præcepta violat, duplex peccatum admittent, nimirum, Dei vel Ecclesiæ legē perfringēdo, & votū quod fecerāt, violando. Nec is, qui Christi legē profiteretur, voti vinculo; & obligatione se obstringit, sed



Deo ita sese subiicit, & Ecclesie obligat, vt in Christo renatus, & ipfius fide, & religione, ac Sacris Ecclesie institutis imbutus, veluti ciuis Christianis adiunctus, iurisdictione, & potestate Ecclesiastica teneatur.

Quarto queritur, An ratum fit votum, quo quis Deo promittit se nunquam peccaturum? **Respondeo**, ratum, & firmum non esse, quia non vouet rem, quæ consueto more, & vfitato ordine, & modo fiat; Singularem enim Dei munere, & auxilio indigemus, vt nunquam peccemus. Sic *Sot. lib. 7. de Iust. q. 1. art. 3. circa conclus. 3. Nauar. in Manuali. cap. 12. n. 65.* **QVAERES** an vim habeat votum, quo quis pollicetur se nunquam veniale peccatum admitturum? **Resp.** non habere: Nam quod quis omne veniale peccatum euitet, singulare est diuinæ gratiæ munus. Sic etiam *Sotus, & Nauar. locis citatis.* **DEINDE QVAERES**, an saltem valeat votum, quo quis spondet, se nullo vnquam tempore lethale peccatum facturum? **Resp.** id esse ratum, & firmum, quoniam diuinæ gratiæ beneficium, quo quis potest ab omni lethali peccato abstinere, non est ex insolitis Dei auxilijs, quamuis fit magnum Dei donum. Sic *Sot. & Nauar. in eisdem locis.* Nulli tamen consilium est dandum, vt huiusmodi votum faciat, quoniam peccata, quæ cogitatione admittuntur, difficile cauentur. Quod si quis hoc votum susceperit, suadendum est ei, vt vel in aliud commutandum, vel relaxandum curet.

**QVAERES** insuper, an fit alicuius momenti votum, quo quis pollicetur se certum peccati venialis genus deuitaturum? **Resp.** *Sotus, & Nauar. ibidem*, esse, quoniam licet ad id diuinæ gratiæ munere egeamus, non est tamen præter huiusmodi gratiæ auxilium consuetum, & communem Dei morem: quamuis aliqua sint peccata venialis generis, quæ difficile dignoscuntur, & declinantur. Quare nemini est consilium dandum, vt horum aliquid voueat. Ex quo intelligitur, locum habere votum promittentium se certum lethalis peccati genus semper fugituros; hoc enim Dei beneficium est ex solitis, & consuetis eius auxilijs.

Quid dicendum, si quis vouerit se sacram confessionem omnium peccatorum facturum coram Sacerdote? **Respondeo** ratum, & firmum esse eiusmodi votum, quoniam censetur vouisse confessurum se omnia venialia peccata, quæ in mentem & memoriâ venerint: quod votum præstare potest. Sed quid, si confiteatur omnia peccata venialia, quorum meminit, & post confessionem, aliorum meminerit? debet ne statim ea confiteri vi voti facti? **Respondeo**: huiusmodi votum interpretari debemus benignè, videlicet, vt qui ita vouerit, solum vouisse putetur se confessurum omnia peccata venialia, quæ in eius memoriâ venerint eo tempore, quo sacram suorum peccatorum confessionem facit.

Quinto queritur, An qui vouit rem aliquam indifferentem, voti vinculo teneatur? **Respondeo**, ex communi omnium sententia, quam habet *S. Thomas in 4. dist. 33. q. 1. ad quest. in vinculum 2. Sot. lib. 7. de Iusticia quest. 1. art. 3. in secundo argumento, Caietanus 2. 2. quest. 88. art. 2. versic. circa indifferentiam.* *Nauar. in Manuali cap. 12. num. 27. Silu. votum 1. quest. 4. Ange-*

*lus votum 1. num. 5. & votum 3. q. 11. Profectò* absque dubio huiusmodi votum irritum esse, & inane. Sciendum tamen est, rem alioqui sua natura indifferentem, ratione, & causa nostri vim, & conditionem boni interdum habere: Verbi Gratiâ, quod Titius Caius in ludo foculû habeat, res per se media, & indifferens est: at verò quatenus Titius inde peccandi occasionem accipit, malum est; & proinde Titius potest iure vouere se niquâ lusurum cum Caio, vt omnè peccandi occasionem præcidat. Idè est de similibus iudicandum, qualia sunt plurima, & quotidiana. Rursus, cû res per se indifferens mihi alicuius mali occasio fuerit, iure vouere possum meam deuitaturum; at si post votum definat esse occasio mali, desinit quoque esse materia voti, quoniâ incipit esse rursus res media, & indifferens.

**QVAERES** quid dicendum, si muliercula votum faciat de non nendo in sabbato ob honore Deiparæ, vel de non edendis capitibus animalium ob cultum, & honorem B. Ioannis Baptistæ, vel de non edendis carnibus igni asis ob venerationem S. Laurentij Martyris? **Respondeo**, cum *S. Tho. loco citato, & Nauarro in Manuali. cap. 12. num. 37. & alijs*, eiusmodi vota esse vana, & superstitiosa, & nullâ vim habere; neque enim cultum, & honore Sancto Ioanni Baptistæ, vel Laurentio Martyri, vel Deiparæ defertur fæmina, si capitibus animalium, vel carnibus igni asis abstinere, & edat alias carnes coctas. Item, si sabbato non neat, & tamè alia opera seruilia faciat. Votum valeret, si voueret fæmina, se in sabbato ab omni opere seruilii cessaturam ob Deiparæ cultum, aut si votum faceret de non edendis carnibus ob cultum S. Ioannis Baptistæ, vel S. Laurentij.

**AN** his fit Regula; Voti materia, necesse est, vt sit actus alicuius virtutis, aut sit res bona, & honesta: tunc enim ratione voti fit materia religionis. Quod si ante sit materia per se religionis, tunc ratione voti ad religionem pertinet duplici ex capite, & duplici nomine, scilicet, & per se, & ratione voti. Exempla in omnibus propono. Promittis te ieiunium suscepturum; ieiunium est actus temperantiæ, & ratione voti fit actus religionis. Voues te peregrinationem suscepturum ad loca sancta, & religiola, vel promittis te quotidie rem diuinâ auditurum; peregrinatio ad loca sancta, actus est religionis, at ratione voti fit actus religionis duplici iure, & nomine. Itè, rem diuinâ audire, opus est religionis: at ratione voti fit actus religionis ex duplici capite. Hinc fit, vt materia voti nõ sit res, quæ ita est indifferens, vt ad nullâ virtutem pertineat, vel quæ bona nõ sit. V. G. promittis Deo te nõ amputaturum vnghes, aut nõ exituum domo, nisi primò dextrum pedem mouendo, vanum est votum. Nec sufficit si promittas te hoc, aut illud facturum ob cultum, & honore Dei: nam quod vanum est opus, Dei cultum nõ habet. Ex quo fit, vt si opus, quod voto promittitur, sit opus virtutis, sit verè materia voti, vt si fæmina voueat, se amictu albo semper vsuram, votum valet; quia amictus candidus, signum est castitatis. Si voueas te vestitu vili, aspero, & abiecto vsurum, votum est ratum, quia vestitus eiusmodi, est signum poenitentiae, & iniunctat ad poenitentiam. Votum similiter, quo promittis nunquam te vinum bibiturum, vim habet; quia

est o.

est opus poenitentiae: Præterea, si voueas te obedire Superiorem, votum subsistit, quia materia tui voti est actus obedientiae. Nec obstat si dicas, Superiorem multa præcipere alioqui indifferenter, quoniam licet multa per se indifferenter alioqui essent: at quatenus tibi imperantur, indifferenter non sunt.

Sexto Quæritur, An res, quæ cum Consilio Evangelico pugnat, voti materia possit esse? Respondeo, ex communi omnium sententia, esse non posse. Dices; posse nos id, quod in consilium Evangelicum cadit, sine peccato prætermittere, ergo & polliceri, ac vouere. De hac questione Caietanus 22. questione 88. articulo secundo, versis, circa opposita consiliorum: Sotus libro septimo, de Iustitia questione tertia, versis, secundum dubium, circa eandem conclusionem. Respondeo, licere quidem nobis consilium Evangelicum omittere, quoniam id Christus Dominus liberum reliquit hominum voluntati; at verò nobis non licet vouere nos id non facturos: quoniam quod vouemus Deo gratum est, & acceptum; ei tamen placere nequit, ut nos ipsi voto obstringamus ad non faciendum id, ad quod tanquam melius ipse nos mouet, inuitat, allicit, hortatur.

Præterea, voti materia minimè censetur, si quid aduersetur officio pietatis, charitatis, & misericordiae in proximum: veluti si quis Deo promittat se nihil commodaturum, fidei iussum non futurum, vt supra diximus, de iureiurando. QVÆRES an peccet is, qui huiusmodi vota facit? Resp. peccare, nisi eum excuset ignorantia; quoniam rem, quæ Deo displicet, pollicetur. QVÆRES etiam, quod peccatum, lethale ne, an veniale committat is, qui talia spondet? Resp. in hunc modum: Si poenitentis animus sit promissum seruare, etiam quando præcepto cogitur contrariū efficere, lethaler proculdubio delinquit, quoniam promittit se contra Dei præceptum facturum. Si verò in animo suo tantummodo habeat contra Evangelicum consilium facere, non tamen Dei consilium contemnere, veniale solummodo culpam contrahit; vt Caietanus, & Sotus locis citatis tradiderunt.

Si tertio roges, an liceat alicui huiusmodi promissum seruare, & an voti sit relaxatio impetranda? Respondeo idè planè, quod supra de iureiurando, cum qui vouit, nihil se mutuo daturum, posse quidem tanta conscientia mutuū non dare, sed non vt votū seruet, cū nulla voti religione obstringatur. Item, nulla etiā indiget voti relaxatione, vt votū non soluat: si quidem nullo voti vinculo tenetur. QVÆRES insuper; Quid si aliquis voueat se nullum in posterū votū facturū? Resp. nullū esse huiusmodi votū, quoniam cū Dei consilio pugnat. Diuini enim consilij est, vt voueamus, præcepti verò, vt vota reddamus, iuxta illud: Vouete, & reddite Domino Deo vestro. QVÆRES demum: Quid si Deo Titius polliceatur, se nullum deinceps votum facturū, nisi id verbo, aut scripto expresserit? Resp. cum Ricard. in 4. dist. 38. art. 2. q. 3. Siluest. votum 2. q. 7. Angel. votum 3. quest. 4. eiusmodi votum, vim, & locum habere: quoniam non vouet Titius non facturū se votū simpliciter, sed non facturū votū, nisi verbo, aut scripto illud exprimat, ne deinceps temerè, & inconsideratè aliquid voueat. At

verò quamuis hoc vouerit, si postea animo Deo aliquid promiserit, nec verbo, nec scripto illud expresserit, votum ratum erit, licet in vouendo peccet: ratum, inquam, votum erit; quia animo suo se Deo obligat: quod quidem sufficit, vt is voti religione teneatur: peccabit tamen, quia votum Deo factum violat.

Si quæras, an vim habeat votum quo quis vouet se nunquam Episcopū futurum, vel Senatorem, vel aliquo alio magistratu, aut munere, & officio publico minimè functurum? De hac questione Doctores in cap. Archidiaconum Florentinum, dist. 85. Et quia eadem est, atque ea, qua quæritur, an iurandum, quo quis iurat similia, valeat, in præsentia eam prætermittimus, quia tractauimus supra cap. 5. quest. 1.

Septimo quæritur, An fas sit rem vouere, quæ maius bonum impedit? De hac questione Caietanus 22. q. 88. art. 2. Sotus lib. 7. de Iustitia, q. 1. artic. 3. in 5. conclus. versis, secundum gradum operum est. Paludanus in 4. dist. 38. q. 1. §. Sexta definitio est. Ricardus 4. dist. 38. art. 3. q. 2. ad secundum. Siluester votum 1. q. 4. versis. Quarto votum de re minus bona. Angelus votum 4. q. 1. Respondeo idem quod supra de iureiurando, voti materiam non esse id, quod Religiois vitæ institutum impedit: verò in votum cadere possunt multa, quibus alia bona sunt longè maiora. Neque enim votum debet esse eius, quod est simpliciter optimum. Exempli causa: Firmum & ratum votum est, quo quis Deo promittit, se in domo aliqua hospitali pauperibus inseruaturū, quamuis sit alia multo maior, & pauperior hospitalis domus. Item, si quis voueat certam peregrinationem, vim habet votum, licet sit alia fructuosior, religiosior, & laboriosior. Itè, multi vouent certæ Religiois institutū, & regulā; cum tamen aliæ sint Religiones arctiores, & sanctiores. Si quis voueat elemosinā se certo pauperi daturū, ratum est votū; quamuis alius sit egētior. Votum enim in materia sibi subiecta nihil aliud requirit, nisi rei bonitatem, & quæ sit ex numero earum rerum, quæ conducunt, & iuuant ad salutem, & vitam æternam consequendam, & de qua consilium est nobis à Christo Domino datum.

Octauo quæritur, An contra promissionem simplicem homini factam, vel contra fidem ei datam, & iureiurando firmatam, liceat alicui votum Deo nuncupare? Exemplum propono: Titius promissit puellæ, aut etiam iurauit se eam uxorem ducturum; postea verò castitatem vouet, aut Religiois institutum: Quæritur, an subsistant eiusmodi vota? Respondeo, eo modo, quo dixi supra de iureiurando, subsistere. Ratio est, quoniam in simplici promissione facta homini, aut etiam iureiurando firmata, intelligitur exceptum votum Religiois, vel sacrorum Ordinum, aut Castitatis. Nec enim hæc bona longè meliora, & præstantiora, potest fides data homini impedire; vt contra quorundam sententiam inferius demonstrabo.

Nono quæritur, An Matrimonium sit debita voti materia? quod est quærerè: An liceat alicui voti vinculo se obstringere ad coniugium contrahendum? Caietanus 22. q. 88. art. 2. versis. Circa

bona.

*bona, que non sunt. Tabienſis votum l. verſic. quinto notandum, ad finem: Nauarr. in Manuali, cap. 12. num. 43. verſic. Decimo quarto peccat, diſtinguit. Si Matrimonium ſit naturæ officium, nequit eſſe voti materia, quoniam impedit Religionis, ſacrorum Ordinum, aut Caſtitatis votum: aut potius, quia qui huiusmodi votum facit, promittit ſe ad inferiorem probitatis, & continentię gradum, quàm ſit Religionis ſtatus, aut vita cæleſtis, deſcenſurum. Vnde quemadmodum nullum eſt votum, ſi voueris, te ad altiorem, vel meliorem virtutis, aut vitæ gradum non aſcenſurum: ſic etiam ſi promiſeris ex altiori ad inferiorem venturum. Si verò ſit libidinis remedium, poteſt in votum cadere. Nam, teſte Paulo: *Melius eſt nubere, quàm vri.* Ergo is, in quo libido dominatur, & cuius caſtitas ſæpè illecebris tentatur, iure poteſt nuptias vouere. *Sot. lib. 7. de iuſt. q. 1. art. 3. circa concl. 5. verſic. in dubium ergo vertitur.* ſimpliciter negat Matrimonium eſſe voti materiam: quoniam licet coniugium ſit aliquando libidinis remedium, Votum tamen de nuptijs, aut Matrimonio ineundo, nequaquam eſt libidinis remedium. *Sicut enim, inquit, licitum eſt cuique, ſuas pecunias mutuo non dare, ne in ijs recuperandis damni aliquid patiatur: Sed non ob id fas eſt alicui, voto promittere ſe nunquam mutuo daturum: nam damnum, quod in mutuo recuperando aliquando patitur, cauemus, ſi pecunias mutuo non demus; non tamen ſi voueamus non daturus nos mutuo. Ita etiam quis libidini medetur, ſi matrimonium contrahat, non autem ſi voueat ſe matrimonium contrahaturum.* Et licet argumentum hoc Caietanum minimè conuincat; Soti tamen ſententia valde probabilis eſt. **At mihi Caietani opinio magis probatur, quoniam coniugium, vt remedium libidinis eſt, ad peccata, & peccati occaſiones, & pericula vitanda referatur, & fas eſt tibi vouere id, quod eſt remedium ad peccata cauenda. Sed animaduertendum eſt, poſſe nuptias alio modo in votum cadere: Vt ſi quis Deo promittat ſe certâ puellam vxorem ducturum, vt eam à corporis, vel animæ interitu liberet, vel vt ipſemet eius puellæ vita, & honeſtis moribus ad gloriam æternam conſequendam vehementius incitetur: nam eiufmodi finis eſt bonus, & laudabilis. Præterea matrimonium poteſt eſſe voti materia, ſi promittatur ob communem Reipublicæ ſalutem; ob publicum pacis commodum, vt aliqua videlicet prouincia ad fidem, & religionem Chriſti traducatur, aut ab hæreſi, & perfidia facilius, & commodius reuocetur: hoc enim Sotus non negabit, quoniam inter ipſum, & Caietanum ſolum eſt quæſtio, an coniugium, vt eſt remedium libidinis, poſſit eſſe voti materia.***

**Decimò quæritur, Quo modo intelligatur id, quod Theologi, & Canonici iuris interpretes docent: Votum eſſe meliorum bonorum?** *S. Tho. 2. 2. quæſt. 88. art. 2. Caiet. ibidem. Ricard. 4. diſt. 38. a. 3. q. 2. ad 2. Palud. 4. diſt. 38. q. 1. 5. Sexta definitio eſt magiſtralis. Sot. lib. 7. de iuſt. q. 1. artic. 3. in 5. concl. 5. Reſpōdeo, vt ex ijs, que hætenus à me dicta ſunt, conſtat, Votum eſt opus conſilij: nulla enim lege cogimur aliquid vouere: Votum item eſt eorum bonorū, quæ in conſilio ſunt poſita; non quod imperata voueri nequeant, ſed quia per votum nouo nos vinculo Religionis adſtringimus in ijs, quæ ſunt alioqui legibus imperata. Item votum, quidam*

aiunt, eſſe meliorum bonorum; non quia quod vouetur, ſemper ſit optimum, ſed quia maioris eſt virtutis officium, quod in votum cadit, quàm eius contrarium. Verbi cauſa, vouet quis Caſtitem, Caſtitas grauius eſt bonum, quàm matrimonium; Præterea, vouet quis peregrinationem, aut eleemoſynam, ieiunium, precationem, aut Religionem; vnumquodque horum melius eſt opus, quàm eius oppoſitum; Et idem, inquit, de cæteris bonis eſſe iudicandum, Mihi tamen videtur aliter dicendum; Votum eſſe meliorum bonorum, quoniam eſt eorum, quæ in conſilio cadūt, quæ comparatione eorum, de quibus ſunt data præcepta, haud dubie meliora ſunt bona.

#### Cap. XIV.

##### Quot modis Votum diuidatur.

**V**otum ſolet multis modis diuidi. **Primo** aliud dicitur ſolemne, aliud ſimplex. **Solemne** appellatur, cui additur ſolemne aliqua iuris formula, qualitas, ſive conditio; nimirum vel ſacri Ordinis ſuſceptio, vel approbatæ Religionis profeſſio *cap. 1. De vota, or. votire dempt. in 6.* **Simplex** votum dicitur quodlibet aliud Votum, ſive priuatum ſive publicè factum. Vnde ſimplex appellatur, quia omni ſolemni iuris formula, & qualitate caret; ſicut ſolemne dicitur, quia illam habet. Porro quæ ſit ſolemni iuris qualitas, & formula infra ſuo loco dicitur: In præſentia ſatis ſit dicere, ſolemne iuris conditionem eſſe, vel ſacri Ordinis ſuſceptionem, vel tacitam, aut expreſſam approbatæ Religionis profeſſionem.

**Secundò**, Votum diuidi ſolet in explicatum, & implicitum. Votum dicitur implicitum, cum aliquid aliud ſuſcipitur, quod Votum requirit. Tale eſt eorum, qui ſacris Ordinibus initiantur: nam conſtituit Eccleſia, vt qui ad hos Ordines promouentur, ſint Voti vinculo adſtricti, quo ad ſeruandam Caſtitem compellantur, quod Votum inferius explicabitur. **Votum explicatū** eſt, quo quis Deo ſe expreſſim obligat.

**Tertiò**, Votum diuiditur in abſolutum, & conditionale. **Vocatur** conditionale, quod eſt certa cõditione affectū, vt ſi voueas te ieiunium ſeruaturum, ad loca ſancta peregrinationem ſuſcepturum, vel ad Religioſorū inſtitutum, & vitam tranſiturum, ſi ex morbo, vel naufragio ſalvus eualeſeris. **Abſolutum** eſt, quod omni conditionis adiectione vacat.

**Quartò** Abſolutū Votum diuiditur in Temporale, & Perpetuum. Dicitur **Perpetuum**, quod eſt ad vitam promittentis: Vt ſi quis voueat Caſtitem. **Temporale** verò eſt ad certum, & definitum tempus: Vt ſi voueas te ieiunium ſeruaturum ter in hebdomada per triennium.

**Quintò**, diuiditur **Conditionale** Votum in **Pœnale**, quod vocatur, & nõ pœnale, **Pœnale** eſt, cum quis aliquid vouet certa ſtatuta ſibi pœna, ſi illud non ſeruauerit; nam pœnam, vt conditionem habet adiectam. Veluti, ſi Titius voueat, ſi certum peccati genus admiferit, ſuſcepturum ſe peregrinationem, aut Religionem. **Porro** illud Votum eſt **Conditionale**, non pœnale, quod licet aliqua ſit conditione affectum, nullam tamen pœnæ adiectionem habet. Vt, ſi Titius pro-

mittat,

mittat, si filius ex morbo conualuerit, se pauperibus elemosynam largiturum.

**Sexto**, Votum diuiditur in Reale simpliciter, & personale simpliciter, & in partim personale, partim reale. Simpliciter reale dicitur, cum res Deo promittitur, & nihil, quod ad personam pertineat, ut cum quis spondet se elemosynam daturum. Simpliciter personale, est cum Deo opus aliquod, & officium personæ promittitur, ut si voueas te ieiunia seruaturum, rem diuinam audicendum, castè victurum. Partim personale Votum, & partim reale dicitur, quo quis, & rem, & personæ officium pollicetur: Veluti si spondeat quispiam se peregrinaturum: peregrinando enim, & iter, & impensas est facturus. Est enim aliquid suis ex bonis, quæ habet, in itinere consumpturus.

**Postremò**, Votum aut potest esse rei certæ faciendæ, aut non faciendæ. Nam potest aliquis Deo polliceri se Castitatem seruaturum, aut nuptias contrahiturum: hæc enim vota in ter se distinguuntur, ut postea declarabo.

### Cap. XV.

#### De Voti vinculo, & obligatione.

**Primo** queritur, An Voti vinculum sit arctius, quam iurifurandi? Tres sunt opiniones. Prima docet vinculum Voti esse longè arctius, & maius. Sic Sanctus Thomas 2. 2. *quest. 89. art. 3.* quod vnica ratione concludit, quia Votum est promissio per se, & directè Deo facta: sed iurifurandum sæpe homini datur, quamuis Deus testis aduocetur: at maior est obligatio, quæ Deo, quam ea, quæ homini nos ipsi obstringimus. Secunda opinio contrà habet, arctiori nos iurifurandi nexu deuinciri, quam Voti: propterea quod iurifurandum omnem promissionem, etià Votum Deo nuncupatum confirmat: nam sæpe multa vouemus, & deinde ea iureiurando firmamus. Tertia sententia utramque illam opinionem conciliat hac ratione. Arctius, inquit, est vinculum Voti, quam iurifurandi, quod homini præstatur. Et hoc sensu vera est prima sententia: sed iurifurandum, quo Deo aliquid pollicemur, strictioris, & maioris est nexus, quam Votum, & in hoc sensu opinio secunda locum habet. **Mihi** tamè eiusmodi conciliatio minimè probatur, & existimo verissimè esse, quod docuit S. Thomas, maiorè scilicet esse obligationem Voti, quam iurifurandi, quoniam Votum natura sua est promissio Deo facta: at iureiurando per se nõ Deo, sed homini obligamur. Nec obstat secundæ sententiæ argumentum, quod iurifurandum tum promissiones, tum vota confirmat: quoniam quæ vouemus, iureiurando munimus; nimirum, ut duplici vinculo obstricti teneamur, nõ quod iurifurandum nos arctius obstringat, sed quod accedente iureiurando pluribus nexibus alligemur. Quæ admodum si Titio deberes aliquid vno tantummodo iure, & nomine, & deinde idem ipsum alio quoque iure deberes, quamuis minori, tunc fores Titio arctius obligatus; non quia secundum, quod accessit ius, maius reuera esset, sed quia pluribus vinculis tenereris obstrictus.

**Secundò** queritur, An Titius dum ambigit, vouerit, nec ne, voti religione astringatur? Et eadem est quæstio, si hæretic, sit ratum nec ne votum,

quod fecerat? **Sotus** lib. 7. de iust. q. 3. art. 2. paulo post concludit. 4. quem sequitur Medina in *Instructione Confessor. lib. 1. cap. 14. §. 7.* opinatur nullo eũ voti vinculo obstringi: ea sultus Regula iuris: *Qua melior est conditio possidentis*: ergo cum quisque sit suæ libertatis possessor, dum ambigit, vouerit, nec ne, ea priuari non debet. Deinde, innumeris alioqui scrupulis plurimi vexarentur, quoniã sæpe dubitant, vouerint ne, an secus. Postremò, durum, ac difficile nimis onus imponeretur ei, qui dum de suo voto anceps animi est, illud seruare cogeretur. **Angelus** tamen *votum. 1. num. 12. Silu. votum. 2. versic. 4.* & **Archidiac.** in *cap. Non solum 33. q. 8.* videntur asserere eũ voti vinculo teneri, quoniam in dubijs, quod tutius, & certius est, sequi debemus. At si homo ille sese habeat, ac si omni voti nexu solutus esset, peccati periculo se obijceret, eo ipso, quod incertæ, ac dubiæ parti in hæret. **Mihi** hæc opinio probabilior videtur: quod idè à me dictũ est in simili quæstione de iureiurã. Nec tamè rectè inferas, duas illas iuris regulas secũ inuicem pugnare, nimirum præstat conditio possidentis, & in dubijs, tutior pars est amplectenda. Prior enim illa locũ habet in ijs, quæ ad iustitiam pertinent. Vt si dubites sit nec ne res tua, quã multo tempore possidisti. Posterior verò locũ habet in cæteris, quæ ad culpam spectant, & pœnam.

**Tertiò** queritur, An sint alicuius momenti vota ob malum finem facta? De hac quæstione multa tradidit **Caietanus** 2. 2. q. 88. art. 2. *versic. Si diligentiùs tamen consideretur.* Sed vt rectè **Sotus** lib. 7. de iust. q. 1. art. 3. in *responsione ad 2.* annotauit, multiplici distinctione est opus. Nam malum, aut est voti, aut rei voto promissæ sigis: Verbi gratia, Promittit quis se elemosynam daturum ob inanem gloriam, inanis gloriæ studium potest esse finis elemosynæ voto promissæ, & ipsius voti: aliud enim est inanis gloriæ causa vouere elemosynam; nempe si id voti faceres coram alijs, vt ab illis videreris, & gloriã quæreres: aliud vouere te daturum elemosynam propter inanẽ gloriã, vt ex ipsa largitione elemosynæ gloriã humanã comparare quæas. In hoc enim inanis gloriã est ipsius elemosynæ finis. Quando igitur malus est rei promissæ finis, Votum est irritum, quia res mala promittitur: male enim promittit quis elemosynã, quã daturus est ob inanem gloriã: male quoque quis promitteret se rem diuinam facturum, aut concionem habiturum studio inanis gloriæ: res enim promissæ, sine malo proposito inquinatur. Quando verò malum est voti finis, non rei promissæ, votum est ratum, & firmum. Ita quidam sacros Ordines suscipere, aut Religionem profiteri, præsertim militarem, solent ob fines nõ bonos, sed vãos, & accidere potest, vt Gentiles, vel alij ad Christi religionem conuersi, sacro Baptismate abluantur ob inanes fines sibi propositos: & tamen omnes huiusmodi vouentes Deo, Ecclesiæ, aut Religioni, Voti vinculo obligantur. Votum enim est quidam actus, & sicut cætera virtutum officia, & opera solet aliquis interdum ob malum finem præstare, sic & vouendi actum. Quare qui sic vouet, peccat quidem, quoniã suum votum finis propositi prauitate commaculat; nihilominus tamen se voti religione deuincit.

Deinde opus est, & alia distinctione. Nam malum, aut est id, cuius gratia quis vouet, aut est finis rei prouenientis ex malo. Sit exemplū: Vouet quis, ut in bello iniusto, aut ludo per se malo, cuiusmodi est is, in quo dolo, & fraude luditur, aut lite iniqua aduersarium vincat, nullum est votum: similiter si voueat se aliquid pauperibus daturum ex lucro iniquè parto, videlicet ex vsuris, ex furto, ex ludo fraudulento, bello iniusto, lite iniqua, hæreditate contra ius, & fas obtenta, votum non valet: valeret tamen si quis voueret se aliquid daturum ex lucro acquisito per ludum, qui solum prohiberetur extrinsecus, scilicet ratione personæ, quæ ludis, vel ratione temporis, loci, aut finis: nam tunc lucrum non esset iniquè, & iniuste partum. Sed primum votū non valet, quoniam Deo malum ille pollicetur. At si solum promittit, si ex bello saluus euaserit, se aliquid boni facturum, votum subsistit. Deus enim salutis quidem auctor est, quia salus per se mali rationem non habet; non tamen est auctor iniusti belli, aut litis iniquæ, aut victoriæ per se nefariæ, aut ludi sua natura mali. Pari ratione, si fur, vel homicida, vel adulter aliquid voueat, si ex furti, homicidij, vel adulterij pœna liberatus fuerit, vim, & locum votum habet: nam Deus peccati auctor non est; est tamen liberationis auctor, quia quis fit liber à pœna. Similiter etiam valet votum, quod adulter vouet, si prole susceptur, se elemosinam daturum. Sciendum itidem est, idem iuris esse in his votis, si quis voueat, ut Deus opem ferat, vel si voueat gratias agens, quod opem, & auxilium dederit: Verbi gratia, vouet quis, ut Deus auxilium præstet in bello iniusto, vel vouet, quia auxiliū dederit in victoria, & bello iniquo, nullam vim votum habet, eo quod votum fit, ac si Deus sit peccati auctor.

Quartò queritur, An qui rei alicuius exigua, & minimæ votum non seruat, lethali ter delinquat? De hac questione Caiet. 2. 2. quest. 89. art. 7. ad dub. 1. Soc. lib. 7. de iust. q. 2. art. 1. versic. Utrum ratione leuitatis. Nauar. in Manuali, cap. 12. n. 10. & 40. Tab. instrumentum, num. 11. Armil. iuramentum, num. 32. Couar. lib. 1. variar. resolut. cap. 1. num. 2. Philiar. de officio sacerdotis, lib. 3. cap. 3. Ludouicus Lopez in suo instr. cap. 42. Huius solutio questionis facile constare potest ex alia simili solutione questionis, quam de iurifurandi nexu, & vinculo tractauimus: quare idem prorsus, quod de iureiurando ibi diximus, de voto quoque dicendum putamus; videlicet lethale peccatum non committere.

Quintò queritur, An vota, quæ subita quadam animi perturbatione fiunt, rata sint, & firma? Sunt enim, qui metu repentino perterriti, vel ingenti mterore confecti, aut morbo graui correpti, & afflicti, aut naufragio, & tempestate iactati multa voueant. Angel. votum 1. num. 6. Gloss. in cap. Dudum, de conuers. coniug. verb. Galore, Rosel. votum 1. n. 1. iur. u. n. 4. sentiunt, eiusmodi vota repentina, atque subita, vim non habere, quia sine animi deliberatione suscipiuntur: id autem ita efficitur, & ex cap. Literaturam, De voto: ubi quidam, qui metu mortis perterritus vouerat, liber à voto iudicatur. Sed profectò nec ipsa sententia, nec subiuncta ratio, cui nititur, momenti alicui habe-

re mihi videtur. Ita opinantur. Silu. votum 2. q. 13. ex Palud. & Anton. Sic etiam Tab. votum 1. non. 2. Armil. votum, num. 6. & contra Glossam sentit Ioannes Andr. in cap. Dudum, de conuers. coniug. ex cap. Sicut tenor. de regul. & c. Sunt qui opes. 17. quest. 4. Ex iure enim Canonico liquet, similia vota rata, & firma iudicari. cap. Sicut ex literis 2. de Regularibus.

Deinde, id quoque ratio ipsa conficit: iustitiam enim affectiones animi perturbant quidem hominem, sed rationis iudicium non adimunt. Item, sæpe multa homines similibus affectionibus commoti peccant, ergo rationis usum non penitus eripiunt. Quod autem uolentes confessionem sui voti poeniteat, argumentum non est, quod in vouendo omni prorsus careant animi deliberatione. Est enim hominis voluntas natura sua inconstans, leuis, mutabilis, ac flexibilis, ut facile sequatur quocumque eam ducat affectus. Et in cap. Literaturam, nō dicitur esse solutus à voti vinculo, qui mortis metu perterritus vouerat, sed qui tantum statuerat, atque decreuerat ad Religionis statum transire, non autem promiserat, sed tantum dixerat, non diu morabor hic, statuens se ad religionem conferre: & ideo respondet Pontifex, si non ultra in animo processu, liber est voti vinculo, & nexu. Sed quid si aliquis iræ impetu vouet, qui alioqui composito, & sedato iræ motu non voueret? Abb. in cap. Dudum, citato respondet, votum non obligare conscientiam, quia Deus militem voluntarium eligit. cap. Non est. 15. q. 1. Sic etiam Antonius in cap. Sicut ex literis de iureiur. Idem Rosel. iurare, num. 4. Sed reuera sicut ad meritum, vel peccatum, sufficit ea sola ratio, & mentis deliberatio, qua quis dicitur mentis suæ compos, ut scienter, & sponte faciat; sic etiam ad votum, promissionem, contractum, quo quis se alteri, vel Deo obligat. In iudicio tamen, iræ impetus sæpe cõsetur talis, ut irritum, & inane habeatur, quod subito iræ motu fit. Vnde Gloss. in c. Ex literis, de diuor. ait: Confessio facta motu iræ non nocet, nisi sedato motu iræ confirmetur.

Est igitur cum communi sententia dicendum, quotiescumque tales animi affectiones rationis iudicium non tollunt, id quod alioqui ad meriti, vel peccati rationem sufficeret, satis est, ut vota facta vim habeant. Cæterum iustam causam, & legitimam habent, ut relaxari facile, commutari uel possint, ac debeant. Si uero prorsus omnem rationis iudicium præcurrant, irrita sunt, & infirma; atque hoc fortassis Angelus uoluit. Et hoc colligitur ex c. Sicut tenor. de regularibus.

Sextò queritur, An votum metu factum ratū, & firmum habeatur? De hac questione Pontificij iuris Doctores, & Theologi multa tradiderunt: quæ quadam breuitate complectar. Soc. lib. 7. de iust. q. 2. artic. 1. ad 2. Silu. votum 2. quest. 12. Angel. votum 3. q. 19. & verbo, Metus, q. 3. Rosel. Piss. Sil. verbo, Metus. Nauar. cap. 12. nu. 52. & Doctores in c. Perlatum, de ijs, quæ vi metus causa, & in cap. Sicut ex literis, de regularibus. Inter omnes conuenit votū metu factum, qui in virum constantem non cadit, ratum esse, & firmū. De voto uero, quod metu fit in constantem virum cadente; tota hæc questio intelligitur. Metus cadens in constantem virum quisnam ille sit, primo libro explicui, & in præsentia breuiter etiam satis est dicere, eum esse

esse metum mortis, perpetui carceris, aut vinculo, stupri, captiuitatis, seruitutis, acerbis cruciatibus, infamie, dedecoris, amissionis bonorum. Deinde, apud omnes constat, Votum firmum esse si fuerit factum metu mortis intrinsecus, siue diuinitas illarum; cuiusmodi sunt Vota nuncupata Deo metu grauis, periculosique morbi, vt colligitur ex cap. *Sicut ex literis 2. De Regularibus*. vbi Clericus quidam, qui graui morbo tentatus Religionem vouerat, Votum cogit implere. Præterea, cōsentiant omnes, Votum factū metu mortis extrinsecus quidem, sed ex causis naturalibus venienti, locum habere, cuiusmodi sunt Vota, quæ quidam naufragium veriti suscipiunt: Item, etiam si Vota fiant metu mortis ex hominibus existentibus; tamen aliquando sunt rata: vt si quis in vincula coniectus, aut condemnatus ad mortem Votum Deo nuncupet, vt à tanto periculo liberetur. Similiter si quis captiuus abductus, aut in hostiles manus incurres, aut bello pressus voueat, vt liber euadat, vim Votum habet.

Quæstio igitur est de Voto, quod fit metu mortis ab homine per iniuriam incusso; nimirum minitante mortem alicui, nisi ille Votum fecerit. De quo sunt duæ opinioniones: Prima censet per se nullum esse huiusmodi Votum. Sic Sotus loco citato, cum alijs quibusdam. Ratio eorum est; quia Votum est opus consilij, & proinde libertatem requirit. Deinde, Votum Deo fit, sed ei acceptū, & gratum non est, quod metu extorquetur. Secunda opinio tale Votum asserit per se iure naturali esse ratum, & firmum; quod sic huius opinionis auctores concludunt; metus non tollit simpliciter voluntarium, alioqui enim parū, aut nihil referret, metus intrinsecus, ne, aut extrinsecus esset incussus. Mihi hæc opinio verior apparet: quæ cōsistit in hoc, vt huiusmodi vota, quod attinet ad ius naturale, irrita non sint, sed auctoritate Ecclesie relaxentur: quod statim explicabo. Metus enim mortis, siue intrinsecus, siue extrinsecus inferatur, siue is ab homine, siue aliunde proueniat, per se differentiam non habet, vt vnus metus Votum dissoluat, alius non item, sed Ecclesie auctoritas vnum rescindit, non aliud. Nec Soti rationes aliquid contra nos efficiunt, quoniam metus voluntarium absolutè non auferit. Deinde, licet is, qui Votum metu extorquet, Deo non placeat, cū turpiter faciat; is tamen, qui metu mortis vouet, bene promittit, & agit, vitā enim Voto redimit, & se ipsū tuetur, ac seruat.

Septimò queritur, An prædictum Votum metu mortis factum, sit ipso iure Canonico irritū, an verò auctoritate Iudicis relaxandum? Abbas in cap. *Sicut ex literis 2. de regularibus*. cui adhaesit Silu. in verbo, *Votum 2. q. 12.* & in verbo, *Metus 2. q. 8.* & verbo, *Incantatum 7. q. 7.* opinatur, huiusmodi Vota non esse ipso iure irrita, sed Ecclesie auctoritate dissolui, quandocumque Voti petitur relaxatio. Ait enim nullo iure Canonico constitutum esse, vt irrita sint huiusmodi Vota. Angelus verò, Rosella, Pisana cum alijs, vt refert Silu. loco citato, sentiant, ipso iure irrita esse, & inania ea vota: quod colligunt ex cap. *Perlatum*, De ijs, quæ vi, metu, & causa fuerint, vbi Pontifex respondet, mulierem, quæ metu mortis, quem maritus incusserat Religionem vouerat, atque susceperat, Voti vinculo

solutam esse; nisi post obitum viri Votum ratum habuerit. Quæ sententia mihi magis probatur, quāquā Abbas putat, tunc Pontificem eam mulierem Voto soluisse. Probabilius tamen apparet, in eo cap. Pontificem tanquam certum posuisse, eam mulierem esse Voto solutam, non quidem, vt Sotus arbitratur, quod nullū sit eiusmodi Votum per se iure naturali, sed quod iure tantum Canonico, meo iudicio irritum, & infirmum habeatur: **QVAERES**, vbi igitur ius Canonicū constituit, vt talia vota sint irrita? Resp. satis esse Pontificiū responsum, quod tanquam certum ponit nulla esse huiusmodi vota, & potuit ius vsu, & cōsuetudine introduci, vt huiusmodi vota irrita sint, & inania. Et cum hoc iuris naturalis non sit, vti contra Sotum dixi, efficitur: vt sit Canonici iuris, quod noluit tale Votum ratum habere, in odium, & poenam eius, qui per iniuriam illud extorquet. At ius Canonicū Vota cætera metu leni facta irrita non reddidit.

Hæc loco poterat queri, An si quis metu mortis, siue quolibet alio metu in virum constantem cadente, ad sacros Ordines promoueat, ita Voto Castitatis teneatur, vt continentiam seruare debeat, sed de hac quæstione lib. 13. commodius disputabo. In præsentia sufficit dicere cum Soto 4. dist. 25. q. 1. art. 2. contra Siluestrum in verbo, *Ordo 4. q. 1.* & alios, eum non esse Voto Castitatis astrictum quamuis characterem ordinis suscipiat: quoniam votum metu mortis factum non valet. Quare Ecclesia cogit eum, aut votum continetig denuò facere, aut à sacrorum Ordinum vsu, & functione abstinere, vt loco citato rectè Sotus annotauit, & inferius dicam.

Octauò queritur, An Vota fictè, & simulatè facta subsistant? Respondeo, minimè subsistere votū, quod quis facit sine animo, & voluntate promittendi. Sed sciendum est eum, qui votum ore fecerit publicè, vinculo adstringi ad id seruandum, quod ore tenus promisit, non quidem vi, & natura voti, sed ratione scandali, quod euitare debet. Rursus, qui vouet, in animo non habens polliceri; si tamen votum deinde expressè, vel tacitè ratum, & acceptū scienter habuerit, voti nexu tenetur. Id colligitur ex cap. *Perlatum*, De ijs, quæ vi, metu, & causa fuerint, & ex cap. *Significatum*, & ex cap. *Cum virum*. De regularibus. vbi Glof. notauit, quod initio non valuit; postea per ratihabitionē confirmari, vt in matrimonio cōtingit, cap. *Ad id quod*, De sponsalibus. cap. *De ijs*. De desponsat. impuberū. Sed animaduertendum est, ratihabitionē talē debere esse, quæ quis ratum habeat, quod initio non valuisse cognouit: tunc enim de integro facit, quod initio non fecerat. Non enim sufficeret, si quis confirmaret tantummodo, quod initio fecit, nescius id ratū fuerit necne: hoc enim nihil aliud esset, nisi, quod factū nō est, cōfirmare: & proinde sicut initio nihil factū fuerat, sic nihil denuò fieret.

Nonò queritur, An vim habeat votū sub conditione possibili, licita, & honesta factū: Omnes consententur, huiusmodi votum ratū, & firmum esse, & impleta cōditione esse seruandū. Sed quæstio est, cum conditio in poenā adijcitur, nū votum locum habeat, & subsecuta cōditione debeat seruari; Vt si Titius castitatē, vel Religionē vouerit, quando in certū peccati genus incurrit?

Respondeo, rata esse huiusmodi Vota, & expleta conditione seruanda: nihil enim impedit cōditio pœnalis, nam subsistunt, & valent contractus, promissiones, conuentiones, & pacta cum conditione pœnæ. Et licet, qui pœnam apponit, nollet conditionem impleri, ne pœnam sustinere cogatur; attamen sponte sese voto Religioni, aut alteri fide data adstringit, vt pœnam subeat, si voto, aut promissis, & conuentis non steterit.

Porro sciendum est, in votis posse multiplicem cōditionem adijci: Sicut etiam solet in matrimonijs, & sponfalibus, in testamentis, legatis, fideicommissis, stipulationibus, & contractibus apponi. Conditio verò tripliciter distingui solet in iure. Aut enim est contra substantiam eius, cui accedit, aut secus. Si in votis igitur adiecta conditio cum eorum natura pugnet, ea irrita facit, vt colligitur ex c. vlt. de cōditionib. appof. Vt si voueam ea conditione, vt voti religione non tenear, vel vt illud non reddam. Sic etiam in l. Cum precario. 1. ff. De Precario, & cap. vlt. de Precarijs, nulla est conuentio, si quis alteri precario dederit, vt intra calendaras possideat, & ante repetere nō possit; Est enim conditio expressè contra Precarij substantiam, vt res precario accepta inuito domino possideatur. Ex quo fit, vt facile dissolui queat ea questio, de qua Canonici iuris interpretes plurima tradiderunt: Et quam tractat Couar. in 4. de Matrim. p. 2. c. 3. §. t. n. S. Angel. religio. su. q. 19. Silu. religio. 3. q. 7. & Tabien. religio. q. 20. Rosel. Religio. 2. n. 11. An solemne Religionis votū vim habeat adiecta ea conditione, vt proprium quid possideat is, qui solemniter voto deuincit; nam Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas, Antonius Butrius, & Glossa in cap. vlt. de condit. appof. & in cap. Innuante, qui Clerici, vel vouentes. Et inter legum peritos, Accursius, Iason, Bartholus, & Decius, quos citat Couar. loco prædicto putant professionem, & Votum ratum esse, ea ratione perducti, quod in cap. Innuante citato. Pontifex definit, firmum esse votū Castitatis, & Religionis, quod quædā mulier emiserat ea cōditione vt in domo propria cum omnibus suis bonis remaneret.

Sed Calderinus, Cardinalis, & Abbas, vt refert Couar. in uias, censent nullum esse eiusmodi votum, quoniam propria quid possidere, cum solemniter Religionis professione pugnat: quorū sententiam sequuntur Summistæ, Angelus, Rosella, Siluester, & Tabien. cui sententiæ ipse quoque libentius subscribo. Quod si Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas, & alij primæ opinionis auctores docent votū vim habere, postea mentem suā declarant, & interpretantur, habere; nimirum quando appofita conditio intelligitur, vt qui vouet, proprium quid habeat; non quidem, quod dominium, & proprietatem retineat, sed vsum dumtaxat; idque Abbatis nutu, atque consensu. Id autem nos cum alterius opinionis auctoribus libenter admittimus: hoc enim modo intellecta cōditio minimè Voti substantiæ aduersatur; neque enim proprium habet Monachus, cum aliquid habet ad vsum, Abbatis permisso, & eius nutu reuocabile. Qua etiam ratione intelligitur Pontificis responsum in cap. citato Innuante.

Obijcies, ex cap. Diaconi, dist. 28. sacros Ordines

collatos ei, qui cum Diaconus ordinaretur, testatus fuerat se velle matrimonio copulari; & vbi habetur: *Si matrimonium ab eo fuerit postea contractum, à ministerio altaris eum non esse prohibendum; propterea quod Episcopus ei facultatem concesserat.* Ergo cōditio contra sacrorum Ordinum substantiam adiecta, sacram Ordinationem non vitiat. Respondeo, Castitatem sacris Ordinibus esse annexam Ecclesiæ decreto; & ideo eiusdem Ecclesiæ auctoritate nuptiæ cum sacris Ordinibus coniunctæ permitti queunt, vt reuera permittuntur in Orientis Ecclesiis: at verò Castitas in voto Religionis solemniter ex ipsa rei natura requiritur eo modo, quo suo loco dicam.

Deinde obijcies ex cap. Sic quidam, 10. q. 1. vbi Ecclesiæ consecratio, & dotis constitutio omnino subsistit conditione sublata, quæ Episcopum ab eius cura excluderat. Vnde fit, vt conditio contra substantiam contractus adiecta eum non vitiet. Respondeo, eam conditionem non esse contra substantiam contractus appositam, verum cōtra iura, & Canones Ecclesiasticos: & ideo statuitur, vt contractus sit ratas, & firmus reiecta conditione. Vnde etiam si testatores, & patroni Ecclesiæ dotem dantes pœnam adijciant, vt in alios pios vsus dos conuerteratur, si fortè Episcopus velit curam illius Ecclesiæ, quæ alioqui ad ipsum iure spectat, ac pertinet, suscipere; ea pœna rejicitur, & nihilominus contractus ratas, & firmus iudicatur.

Præterea conditio in votis adiecta, aut in faciendo, aut in non faciendo consistit: hoc est, aut per affirmationem, aut per negationem apponitur, vt si vouero me peregrinationem susceperum, si Titius consul factus sit, aut si capitulum non ascenderit. Si primum, locum habet Votum statim, atque cōditio impletur. ROGABIS, quid dicendum sit; voui me facturū bonum aliquid, si Titius Cæsar dederit decem? Resp. perfolui votū debere statim, atque Titius dederit, & Cæsar noluerit accipere. Nam oblatio pro impleta conditione habetur. *L. Si ita heres. ff. De cōditionib. insti.* quoniam per Cæsarum stat, quo minus conditione Titius expleat. *L. Statu liberis, ff. de statu liberis, & L. Si quis testamentum. ff. De cōditionib. insti.* Quæres insuper, Quid iudicandū, si Cæsar ablit, cui dāda sunt decem? Resp. eum esse expectandum donec veniat, aut saltem deponēda illa decem. Si Titius voueat, me ad religionem conferā, si pater meus consenserit, quum primum pater discessit, sit liber à voti vinculo: & mortuo patre antequam consentiret, voto non tenetur, quoniam conditio sequuta non est. Si verò conditio in non faciendo concepta sit, siue per negationem, vt si voueam certam elemosynam me daturū, nisi eam Titius dederit; soluendum est Votū statim atque certū fuerit, eā Titium dare nō posse. Pari ratione vouisti te Hierosolimam nauigaturum, nisi ego nauigauerim: Votū reddere debes cōfessim, atque compertum, & certum fuerit me nauigare non posse: non quum nauigare potuerim, ex l. Ita stipulatus, l. §. Sed est si ita, & §. respondit. ff. De verb. obli. Similiter voueo; si Turca urbem non ceperit, si in Occidentem non venerit, præstandum est promissum, cum primum certum esse ceperit, eum urbem capere, aut venire in Occidentem nō posse.

Voueo

Voueo daturum me centum si in capitolium non ascenderis, vel in Hispaniam non ieris, de-  
beo promissum exolvere, cū certum esse coe-  
perit te Capitolium ascendere, vel in Hispaniam  
ire non posse. *Ex L. Eadem. ff. de verb. obligat. §.*  
*Si quis ita stipuletur, ubi dicitur: Si quis ita stipuletur, si*  
*in capitolium non ascendero dare spondeo; perinde erit, ac si*  
*stipulatus esset, cum morietur, sibi dari. Hæc leges civi-*  
*les, de stipulationibus, quæ verbis cum homini-*  
*bis contrahuntur. Sed certè in votis Deo factis*  
*habenda est ratio tacite conscientie: nam si quis*  
*voverit, dabo centum, si non nauigaueris, viden-*  
*dum est, an se voto Deo obligare voluerit, quum*  
*primum alter nō nauigauerit cum nauigare cō-*  
*modè potuerit: Similiter si voverit, dabo centū*  
*si Titius non dederit: consideranda est vouentis*  
*voluntas, num se obligauerit statim, vt Titius*  
*dare noluerit, vel non dederit, cū dare potuerit:*  
*nam licet quod mitius est, eligendum esse videat-*  
*ur: at ex altera parte cum res dubia est, id elige-*  
*re debemus, quod tutius est: licet leges in mitio-*  
*rem partem interpretentur promissiones, & sti-*  
*pulationes inter homines contractas. Nec quis*  
*miretur si ita huiusmodi vota interpretentur,*  
*quoniam etiam olim Sabinus iurisconsultus, vt*  
*legimus in eadem lege, ita stipulatus, senset in præ-*  
*dictis stipulationibus, & promissionibus specta-*  
*ndam esse contrahentium mentem, & volū-*  
*tatem, ita vt promissor statim, vt moram fecerit,*  
*hoc est, cum non fecerit, quod est conditio cō-*  
*ceptum, & facere potuerit, sit reus culpæ. Quam-*  
*uis Pegasus & Papinianus iurisconsulti volue-*  
*rint omnem obligationem prædictarum stipu-*  
*lationum, & promissionum in eum tantum ca-*  
*sum conferendam, quum promissor nullo modo*  
*in posterū facere possit. Et hæc sententiam se-*  
*quuti sunt alij iurisconsulti, & Iustinianus Im-*  
*perator loco citato.*

*Siquæras, quid dicendum sit: cum vouet quis*  
*se daturum centum, si Titius intra biennium ca-*  
*pitoliū nō ascenderit, vel vouet se intra bien-*  
*niū ædem sacram ædificaturum, an sit reus vo-*  
*ti ante biennium præteritū, cum tantum residui*  
*temporis sit, quo ædificari templum non possit,*  
*& cum in capitolium ascendere Titius nequeat.*  
*Papinianus in L. Insulā, & Pomponius in L. Veluti §.*  
*Si stipulatus. & Cellus in L. Quid quid §. Si stipulatus ff.*  
*De verb. obligat. aiunt, promissorem reum nō esse,*  
*nisi præterito biennio: quum immutabiliter ve-*  
*rum erit Titium in capitolium ascendere non*  
*posse, & templum extrui nequire: sed nihilomi-*  
*us etiam hic erit spectanda mens, & voluntas*  
*promittentis.*

*Tertio, Conditio, aut est impossibilis, aut tur-*  
*pis. Item, aut in præteritum, aut præsens confer-*  
*tur, aut in futurum. Si est præsentis, vel præteriti*  
*conditio, votum minime irritum reddit, etiam si*  
*turpis sit, quoniam actum non suspendit. L. Infrat-*  
*talis. ff. De conditionib. infrat. ubi dicitur: Nulla est con-*  
*ditio, que in præteritum, vel in præsens conferatur: Veluti*  
*si rex Parthorum viuit, si nauis in portu stat. Ra-*  
*tum est igitur votum, si ita promittas: Voueo si*  
*furtum admisisti, quoniam nemo ad delinquen-*  
*dum inuitatur. Similiter firmum est votum, Vo-*  
*ueo, si heri pater meus vixit. At verò conditio, quæ*  
*vel natura sua est impossibilis, vel lapsu tempo-*

*ris effecta est talis, in foro quidem exteriori pro*  
*non adiecta habetur: at in interiori nullū est vo-*  
*tum ea adiecta conditio. Vt si Titius voueat, si*  
*coelū manu tetigeris, si mare torū ebiberis, aut si*  
*promittas, Voueo, si pater meus viuit, aut si ad*  
*tres menses viuet, aut si intra mensem redierit, qui*  
*tamen ante deceaserat, votum est irritū, & inane.*

*Item si turpis sit conditio in futurum cōcepta,*  
*nullum est votū. Vt si spondeas, Voueo, si homi-*  
*cidium, vel furtū committas: hæc enim conditio*  
*actum suspendit, & ad delinquendū mouet, ac*  
*trahit. Si per naturam necessaria est conditio etiā*  
*in futurū concepta, statim votū cōfirmat. Voues*  
*aliquid boni, si Sol cras oriatur, statim te Deo ob-*  
*ligasti, quia talis conditio pro impleta habetur.*

*Postremo, Conditio, aut coniunctim, aut dis-*  
*iunctim apponitur. Si primo, vtrinque impleti*  
*debet, vt ratum sit votum, vt Voueo, si pater, &*  
*frater meus ex Asia redierit. Si secundo, satis est*  
*si alterutrum impleatur, Vt, voueo, si pater, vel*  
*frater meus ex morbo conualuerit. Vouet, dices,*  
*Titius se daturum decē, vel quindecim, aut vouet*  
*se post annū, vel post biennū religionem susce-*  
*pturum, an dare debeat quindecim, item an re-*  
*ligiosus fieri post annum debeat? In L. Si ita stipu-*  
*latus fuero. ff. de verborum obligat. habetur: in huiusmodi*  
*promissionibus, quod minus est, & quod longius est, videtur*  
*in obligationem deductum. Et certè cum mitius, &*  
*benignius vota interpretari debeamus, conse-*  
*quens est, vt Titius tantū decem dare debeat, &*  
*post biennium religionem amplecti. At ex alter-*  
*a parte tenenda est regula iuris, in dubijs tutior pars*  
*eligenda est. Quare si Titius vouerit se daturum*  
*quindecim, vel decem, spectanda est mens, & vo-*  
*luntas eius, an se obligare voluerit in hunc mo-*  
*dum, dabo quindecim si potero, sin minus dabo*  
*decem, tunc enim dare quindecim compellitur*  
*ratione voti si potuerit, sin minus, decem. Pari ra-*  
*tione, si voverit, religionē suscipiam post annū,*  
*aut post biennū, videndum est, an sententia sit,*  
*suscipiā post annum, si potero, sin minus, post bi-*  
*ennium. Similiter etiā si voueat, suscipiā religio-*  
*nem, aut Presbyter fiam. Consideranda est mens*  
*eius, & voluntas: an fuerit: suscipiam religionē*  
*si potero, sin minus, presbyter ero. Quod si de*  
*promittentis voluntate dubij sumus, tutior pars*  
*est eligenda: quæ in his votis est, videlicet obligat-*  
*io cōfertur in id, quod maius est, & in tempus,*  
*quod breuius est: si quis voueat dabo hunc cali-*  
*cem, vel hunc, quem voluero, postquam vnū ex*  
*illis elegerit, voluntatem mutare non potest: Si*  
*verò ita sit votū conceptū, dabo hunc calicem,*  
*vel hunc quem volam, potest voluntatē mutare,*  
*etiam postquam votum elegerit, Ex L. Si quis sti-*  
*pulatus sit. ff. De verborum obligat.*

*Decimo queritur, Quando quis votum suum*  
*perfoluere debeat? Respondeo cum S. Thoma 2.*  
*2. quest. 88. art. 3. ad 3. & Cajet. ibi. & Siluest. Votum.*  
*2. quest. 3. & Angel. Votum 4. quest. 2. Si animus vo-*  
*uentis fuit se voto obligare ad id statim red-*  
*dendum, statim debet exolvere, statim, inquam,*  
*cum commodè potest. Deinde qui ad certum*  
*tempus votum Deo nuncupauit, eo expleto de-*  
*bet soluere, si commodè possit. Sed questio est*  
*de eo, qui voto suo nullū tempus certum præfixit,*  
*quandonam promissum præstare iure cogatur?*



Quidam videntur asserere, tunc temporis compelli, quando mens, & ratio præscribit, vt votum exoluat. At enim hæc regula fallax est, & incerta: nam scrupulosum hominem statim animus sollicitare solet, ac premere: suæ verò salutis immemorem, aut nunquam, aut serò. Alij sentiunt eum tunc obligari, quando arbitrio boni viri iudicatur votum reddi oportere. Sed ex communi omnium sententia dicendum est, eiusmodi vota esse persolueda, cum primum is, qui vouit, ea commode præstare potest. Nam idem iuris est in cæteris, quæ alteri homini debemus, ea enim soluere, ac reddere nos oportet statim, atque commode possumus. Deinde, quia sicut creditor tacite rei creditæ solutionem petit, cum primum ei restitui satis bene potest; sic etiam Deus exigit à nobis Vota, & promissa cum ea exoluere, & complere satis commode possumus.

Vndecimò queritur, An is, qui vouit ad certum hebdomadæ diem ieiunium, si eo die votum non reddat, suscipere alio die ieiunium debeat? Abb. in cap. Per suas. de voto, & voti redempti. respondet, debere, quia ad duo faciendâ voti religione adstringitur: sicut qui certo die soluere decem debet, si constituto die non soluerit, nihilominus ad soluendum ipso iure compellitur, vt colligitur ex L. Celsus. §. 1. ff. De rebus arbitris, & L. Traiectitæ. §. De illo. ff. De actio. & obligat. & L. Magnam. C. De contrahen. & committen. stipulat. Nam Caius iussus dare decem intra Calendas Septembris, si non dederit; licet postea offerat, verum est intra Calendas non dedisse: nam duo habere præcepta videtur, vnum, dandi decem, alterum, dandi intra Calendas Septembris. Idem quoque docet Siluest. Abbatem sequitur votum 2. q. 4. Verum vtendum est nobis distinctione: quoniam eiusmodi ieiuniū potest dupliciter Deo religiose, & sanctè promitti, aut in honorem, & cultum certi cuiusdam diei, vt si voueas illud te seruaturū in peruigilio alicuius Apostoli, aut absolutè, & simpliciter, nimirum vt in vno hebdomadæ die corpus ieiunio castiges. Si primo modo fiat, elapso præstituto die, Voti quoque obligatio finitur. Si secundo, non cessat, & hoc est, quod vult lex citata.

Quæres, Quid dicendum, quando certò non conitat hoc, an illo modo factū sit Votum? Respondet, rationè esse habendâ eius, qui vouit: an vouerit animo certum diem religiose obseruandi, an verò absolutè, & simpliciter; quod si nec adhuc de vouentis voluntate constiterit, quod tutius est, oportet eligi, & proinde alio die promissum ieiunium persoluedum.

Duodecimò queritur, An qui vouit se certam peregrinationem suscepturum intra annum, & ante exitum anni morbo aliquo graui, & periculoso corripitur, liber fiat ab obligatione, an verò potius Votū in aliquid aliud debeat commutari? De hac questione agit Siluest. votum 2. quest. 6. In qua Archidiaconus, in cap. Qui bona. 17. quest. 1. sequutus S. Thomam, quem citat, sentit nihil esse opus commutatione Voti, quoniam quicquid initio impediret votum cum sit, impedit etiam post illud iam factum. Eandem sententiam S. Thomæ, & Archidiaconi sequitur Abbas in cap. 1. De voto, & voti redempti. Et quamuis dicat, tutius esse commutare votum: idque probet ex cap. Quod

super his. De voto, & voti redempti. Vbi ob impedimentum contingens fit voti commutatio. Sed verum, inquit, est, quod Archidiaconus cum S. Thoma tradidit: nam morbus vouentem impedit, ne Votum possit exoluere, ergo illud commutatione non indiget. Nec obstat testimonium allegatum: ubi enim sermo est de eo, qui vouerat peregrinationem longiuquam in Terram sanctam, qui licet per infirmitatem, vel paupertatem ire ad bellandum nequibat, alium tamen in sui locum poterat substituere, atque supponere: vt ait Silu. votum 2. q. 6. ad finem.

Decimotertiò queritur, An sublata voti causa, sublata quoque voti obligatio sit? Hostiensis in cap. Magna. de voto, & voti redempti. putat eam obligationem cessare, licet redemptio, aut commutatio Voti sit tutior, ex cap. Magna. §. Vbi. De voto, & voti redempti. vbi votum peregrinationis, quod Deo Episcopus nuncuparat, pro libertate Trecentis Ecclesiæ assequenda, quamuis causa cessauerat, in elemosynas, preces, & ieiunia Romani Pontificis auctoritate commutatur. Goffredus verò simpliciter, vt referunt Siluest. votum 2. quest. 8. & Angel. votum 4. quest. 5. affirmat voti obligationem extingui. Abbas in cap. Magna. citato distinguendo respondet: Si causa reuera sit finis, cuius gratia votum est factum, ea sublata votum non consistit, vt colligi potest ex cap. Cum cessante, de appellat. Si verò causa solum sit impellens, ac mouens ad vouendum, ea si cesset, Votum minime finitur. Si dubitemus, vtrū causa, qua votum est factum, fuerit finis voti, an non, iudicare debemus voti obligationem manere, vt colligi potest ex L. Quicquid astringenda. ff. De verb. obligat. Et idè iuris est, si duæ fuerint voti causæ, & vna remota, maneat altera. Velut si voues peregrinationem, vt sancta Apostolorum limina inuisas, & fratretuum in vrbe conuenias, tamen si frater decefferit, voto teneris astrictus. Siluest. votum 2. q. 8. Angel. votum 4. q. 5.

Decimoquartò queritur, An qui vouit peregrinationem ad limina Apostolorum in Vrbe, vel ad certum diem ieiunium; & postea eo die ieiunium suscipiat, nihil de voto cogitans, vel in Vrbe alia de causa veniens, limina Apostolorum inuisat sui Voti immemor, Votum exoluisse censetur? Respondet Maior, Votum persoluisse, dummodo postea ratum habeat, quod fecit: & scienter, ac spontè sua ieiunium suscipiat, vel in Vrbe veniat: nam si per vim à cibis abstineret, vel in vrbe ad limina Apostolorum venire cogeretur, minime votum persolueret. Pro hac sententiâ facere videtur, quod si quis quoridie de more, rei diuinæ interesset, Ecclesiæ præcepto satisfaceret, si certo die festo sacris adesset, quamuis nesciret, dies festus esset nec ne: nam præceptum, & votum implemus, cum promissa præstamus, & imperata facimus, etiam si nihil de voto, aut præcepto cogitemus.

Animaduertendum autem est, hanc Maioris sententiam tantummodo locum habere in eo, qui simpliciter se ieiunio, & in edicte certo die præstituto, nihil de voto cogitans: non autem in eo, qui abstineret à cibis animo, & voluntate aliud ieiunium suscipiendi, vt suum votum persolueret.

S. Th. 4. d. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 1.

Maior. d. 38. q. 5.

ueret: quemadmodum, qui die festo rem diuinā audiret, habens in animo iterum Missæ sacrificio interesse, Ecclesiæ præceptum, & legem minime seruaret, si sacrum iterum non audiret: vt libro superioris dixi, de præcepto recitandi preces Horariorum Canonici, c. 12. q. 3.

**Decimoquinto** quæritur, An voti obligatio ad heredem transmittatur? quod est quæreret, an hæres alicuius vita perfuncti vota eius persolueret? De hac quæstione tractant Paludan. 4. dist. 38. q. 3. artic. 3. Innocen. Hostien. Ioann. Andr. Abb. in cap. Licet, de voto, & voti redempti. Siluester votum 2. q. 11. Quæstionem mouet, quod sancitum est in L. Si quis rem, ff. De pollicitat. ubi habetur: Si decimum quis bonorum uouit, decimam prius in bonis desit esse, quam fuerit separata: & si forte qui decimam uouit, decesserit ante sepositiorem, hæres ipsius hereditario nomine decime obstrictus est. Voti enim obligationem ad heredem transire constat. Hæc ibi lex. **Respondeo**, voti obligationem personæ esse, & non rei: Vnde nemo alterius voto adstringitur, ita ut voti reus teneatur, nisi id præstet. Potest tamen aliunde obligari, utpote vel ratione hereditatis obtentæ, vel alio modo; ut quædam Ciues vel Canonici uouet se certū diē tanquā festū obseruaturus, qui successerunt, nulla voti religione obligantur. At uero si in consuetudinem abeat illius diei obseruantia, tanquam legem, eam consuetudinem tenere debent. Item, si vota mortui testatoris realia fuerint, ea debet hæres exoluere. Vt si uouerit templum, sacellum, hospitem domum extructurum, vel certæ Ecclesiæ calicem donaturum, vel certis pauperibus eleemosynam erogaturum, debet promissa præstare, non quod voto ipso teneatur, sed quia defuncti, qui uouerat, hereditatem adeptus est.

Personalalia tamen vota non debet, ut si mortuus dum uiuere, Deo certa ieiunia promiserat. Quod si vota mixta fuerint realia, atque personalia, ea reddere oportet quatenus realia, non quatenus personalia. Vt si testator uita defunctus sponderat peregrinationem ad certum pium, & religiosum locum, ut in eo calicem aureum offerret, debet hæres hoc fecundum præstare, non primum. At si votum est principaliter personale, & aliqua ex parte reale, hæres cum ad personale reddendum nullo iure compellatur, nec reale cogitur præstare: quoniam principali sublato, aufertur quoque id, quod accedit. Huius rei exemplum fit: Vouerat testator ante obitum certam Religionem, in cuius familiam, si profiteretur eam, sua quoque bona transfuisset: non debet hæres Religionem bona tradere, quia ad Religionem suscipiendam nullo iure compellitur, quod fuerat principale testatoris votum. Item, pollicitus erat testator peregrinationem, non debet hæres impensas soluere, quas ille inter eundem, commorandum, & redeundum fecisset. Hæc ex Paludano, Siluestro, & alijs. Cum igitur lex citata definit voti obligationem ad heredem transire: id uerum est ratione hereditatis ad eum transfusa: nā prius dixerat hereditario nomine heredem decimam reddere oportere, quā testator uouerat. Vnde Innocentius ait, heredem cogi posse, statuta pœna, ut nisi soluerit, hereditatem amittat. Immo addit Abbas, posse anathemate pu-

iri: nisi id fecerit, quoniam eo ipso, quod hereditatem adiuit, quasi contractum inijsse, probabiliter creditur.

**Decimosexto** quæritur, An qui per seipsum nequit votum persolueret, id per alium præstare & implere debeat? De hac quæstione Innoc. in ca. Scriptura, de vot. & voti redempti. Siluest. votum 2. q. 10. **Respondeo**, si res promissa eius est conditionis, ut per alium fieri possit, ac soleat, nec uouentis animus fuit per se tantummodo promissum præstare, debet per alium suum votum implere: cuius generis sunt multa vota realia, ut aiunt Innocentius, Siluester, & alij. Vt qui uouerit simpliciter se Christianis Hierosolymis, & in terra sanctorum auxiliium daturum, pecunias largiturum, vel certæ Ecclesiæ calicem, vel quippiam aliud oblaturum, vel pauperibus eleemosynam erogaturum: hæc enim & similia solemus per nos ipsos, & per alios præstare. Nec his obstat, quod habetur in c. Quod super his. De vot. & voti redempti. Quando uero talis est res, quam per nos ipsos, non per alios facere commodè possumus, nisi expressè, dum uouemus, in animo habeamus id per nos ipsos, aut per alios exequi, nequaquam adstringimur ad faciendum per alios, si per nos præstare, & obire nequeamus.

**Decimoseptimo** quæritur, an rei voto promissæ dominium maneat penes uouentem? ut si quis uoueat se quippiam certo pauperi donaturum. **Respondeo**, Voto rei promissæ dominium minime transferri: unde contra uouentem non est actio realis, sed personalis: potest enim in certis quibusdam causis conueniri is, qui uouet, aut promittit, ut votum exoluat, ut alio in loco commotius dicam.

**Decimo octauo** quæritur, An opus, & officium, quod vi, & ratione voti fit, sit maioris meriti apud Deum, quàm si secus fieret? **Respondeo** cum S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 6. cuius sententia est communi consensu recepta, esse maioris, & plenioris meriti & fructus. Nam uouens dat opus, quod facit, & seipsum sicut plus dat, qui dat fructus, & arborem, ut dixit Anselmus De similitudinibus, capite 8. Deinde, opus factum ex voto, est duplicis virtutis officium, nempe religionis, cuius actus est votum: & illius virtutis ad quam pertinet res voto promissa. **Obijcies**: Minoris est meriti, cum quippiam alioqui debitum reddimus, quàm cum idem ipsum spontè præstamus. **Respondeo**, id loquum habere in ijs, quæ facimus vi, & lege iustitiæ, quam alteri debemus; ut cum rei emptæ precium soluimus, cum depositum, mutuum, commodatumque Domino reddimus: non autem in ijs, ad quæ faciendæ, vel danda nos ipsi liberaliter obstrinximus. Iterum **oppones**: Non semper cum quippiam vi, & ratione præcepti fit, uberioris & plenioris est meriti, quàm si illud idem alicuius consilio fieret, ergo nec opus voto factum abundantioris, & cumulatoris est meriti, quàm si esset opus consilij. **Respondeo**: Cum ex præcepto opus efficitur, ut legi, aut imperanti homini pareamus, semper maioris est meriti, quoniam est opus duplicis virtutis, obediendi scilicet, & illius, in qua res imperata reponitur: cum uero solummodo imperata facimus, non eo ipso, semper magis promeremur.

At cum votum perfoluimus, eo ipso, meritum au-  
gemus, copiosius premium commeriti, quia, ut  
dixi, opus ex voto factum, est duplicis virtutis of-  
ficium.

Decimonono quæritur, An peccet is, quem sui  
voti facti pœniteat? Respondeo, quosdam opinari  
nos semper peccare, quoties pœniteat nos vouif-  
se. Attamen dicendum est, eum peccare, qui vo-  
tum factum violare constituit: aut qui negligit,  
vel ultra tempus constitutum segniter proro-  
gat. Enimvero is lethale peccatum non contra-  
hit, qui cum in animo habeat votum reddere, nõ  
vouisse vellet: peccat verò si doleat de eo actu,  
quo initio vouit: nec enim tibi fas est dolere,  
quod honestatis, ac virtutis opus effeceris: ac  
proinde tibi nõ licet dolere, quod votum feceris.

### Cap. XVI.

#### De ijs, qui vouere possunt.

**P**rimò quæritur, Quinam vouere queant? Re-  
spond. quosdam iure naturali vouere non  
posse, alios verò iure Canonico à vouendo  
prohiberi. Quicumq; igitur mentis compos non  
est, iure naturali vouere non potest. Item in ijs  
rebus, in quibus aliquis alieno iuri, & potestati  
subijcitur, votum facere nequit, quia sui iuris  
persona non est, aut quia res aliena est.

Secundò quæritur, An Episcopi, & alij Superi-  
ores Antistites, quippiam vouere possint? Re-  
spondeo, iure Canonico esse constitutum, ne vo-  
tum suscipiant, quo vinculum, per quod sunt su-  
is Ecclesijs additi, & obligati, dirimatur sine Ro-  
mani Pontificis consensu: vt facile deducitur ex  
*c. Nisi cum pridem, De renunciat. c. Licet, De Regularib.  
c. Magna, de voto, c. voti redempt.* Nec item possunt  
quippiam vouere, quod in graue suarum Ecclesi-  
arum, quibus præsumt, detrimentum cedat, eodem  
*c. Magna, de vot. c. vot. redempt.* quare nequeunt lon-  
ginquam peregrinationem voto polliceri, quon-  
iam diu à suis Ecclesijs absissent. Exceptum tam-  
en aiunt Innocentius, Ioan. Andr. Hostien. & An-  
ton. Butrius in *c. Ex multa, c. penul. c. vlt. de vot. c.  
voti redempt. c. cap. quod Dei timorem, de statut. Monach.  
Hierosolymitanæ peregrinationis votum, quod,  
teste Abbate ibidem, poterant olim Episcopi susci-  
pere in Terræ sanctæ subsidium, cum omnibus  
generatim dabatur aditus in Palestinam; nunc  
verò non possunt.*

**Q**VAERES, An si Religionis institutum vouer-  
int, id voti seruare debeant, modo, quo posuit;  
nimirum facultatem petendi abdicandi se mu-  
nere Episcopali? Palud. & Siluest. eum sequutus  
in *verbo, Votum, q. 1. c. in verbo Religio, 2. q. 8.* aiunt,  
eos ad huiusmodi facultatem petendam voto i-  
plo compelli. Et cum quis vouet ingressurum se  
in religionem, si antequam votum exoluat, Epif-  
copus creetur, debet se officio, & dignitate pon-  
tificali secundum ius abdicare, & votum, quod  
fecit, implere: vt constat ex *c. Per sua, De vot. c. vo-  
ti redempt.* Quoniam licet Episcoporum status sit  
Religiosorum statu perfectior, religiosus tam-  
en potest in Episcopu eligi, & ideo q. vouit se religi-  
onem suscipiturum, & ante ingressum in religio-  
nem Episcopus eligitur, suum votum implere  
cõpellitur, quia religionis professio nõ impedit  
quominus religiosus ad Pontificiam dignitatẽ,  
& officium prouehatur. Ac non nisi Romani Põ-

tificis consensu, Ecclesiam, cui est præfectus Epif-  
scopus, dimittere potest. *c. Nisi de renun. DE IN DE*  
**Q**VAERES, an si longinqua peregrinationis vo-  
tum susceperint, ad aliquid faciendum ipius vo-  
ti obligatione adigantur? *Silu. loc. citat.* respondet  
eos soluere oportere impensas, quas inter eun-  
dum, commorandum, & redeundum fecissent:  
laborem verò peregrinationis, cum vigilijs, præ-  
cibus, ieiunijs, & alijs pietatis officijs commuta-  
re debere. Alia verò vota facere queunt, vt dan-  
di eleemosynas, ieiunia seruandi, preces  
adhibendi, & alia similia faciendi. Sic Innocen-  
tius, Hostien. Ioan. Andr. Abbas *locis supra citatis.*

**T**ertio quæritur, An Clerici in dignitate Ec-  
clesiastica constituti, vel animarum curæ præfe-  
cti, vel Beneficium habentes, quod residenti-  
am Clerici iure communi requirit, quales sunt Pa-  
rochi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Decani,  
Præpositi, Priores, Canonici, ac similes aliquid  
vouere possint? Respondent Innoc. Hostien. Ab-  
bas *locis citatis.* & Siluest. *religio, 2. q. 8.* fas esse cui-  
bet Ecclesiæ præfecto, vel Clerico præter Episco-  
pum, deposita cura vel dignitate, aut Ecclesiasti-  
co beneficio legitime, & ritè abdicato, vel etiam  
cura, dignitate, & beneficio nondum depositis, Reli-  
giosam vitam suscipere: & addit S. Tho. 2. 2. q. 189. ar. 7. id eis concedi etiam Episcopo contradi-  
cente; petita tamen facultate, quamuis non obti-  
neatur. Vtrumq; colligitur ex *c. Duae, 19. q. 2. c. Licet de  
Regularib.* Eorumq; beneficia nulli conteri iure  
possunt, nisi post professionem expressam, vel ta-  
citam Religionis, vel nisi euidenter confiterit  
eos vitæ institutum mutare voluisse, *c. Beneficium.  
De Regular. in 6.* Fructuum autem beneficij ante p-  
fessionem emissã, iusta, ac debita portio tribui de-  
bet Vicario in eorum locum successo, & Ecclesiæ  
inservienci: reliquum, vt quorundam sententia  
docet, cedit in vsum eius, ne religioni sit oneri,  
vt ait *Silu. religio, 2. q. 88. & Angel. Noui. q. 22.* Quam-  
uis alij doceant, conseruari debere, & impendi  
in vltus Ecclesiæ, cui seruiebat, id ex eo colligunt,  
quod habetur in *c. Quia sepe, de elect. in 6.* Sed fortal-  
tis vtraq; sententia non inepre conciliabitur: ita  
vt prima locum habeat, quando Monachorum  
coenobium commodè Nouitium alere, & su-  
stentare potest sine alio vitæ subsidio; secunda  
verò, quando nihil habet, vnde eum sustentare  
queat. Sic conciliat Gemilian. in *c. Beneficium, de Re-  
gular. in 6. c. in c. Quia sepe, de elect. in 6.* nam in *c. Quia se-  
pe*, solummodo de Ecclesia vacante tractatur. A-  
lia item vota facere nequeunt cum graui Eccle-  
siæ, cui præsumt, detrimento sine Episcopi consen-  
su, cætera verò vouere possunt.

**Q**UAERES, an simpliciter, hoc est, absq; vllò Epif-  
scopi consensu, possint votum vltimarum su-  
scipere: hoc est, vouere peregrinationem ad san-  
ctum Templum Hierosolymitanu, in Terræ san-  
ctæ subsidium? Respondent Hostien. & Abb. in  
*c. Ex multa, c. vlt. de vot. c. voti redempt.* quibusdam  
esse visum, hoc eis licere, quoniam libera à Ro-  
mano Pontifice facultas conceditur, præterquã  
Episcopis, his omnibus, qui Christianis in Terra  
sancta commorantibus, aliquid subsidij, ac utili-  
tatis asserre queunt. *c. Ex multa de vot. c. voti red. A-  
lij opinantur id non licere, nisi Rom. Pont. aut E-  
piscopi permisso, ex c. Fratemitati, de cler. non resp. vlt. vlt.*

bi habetur: Clericum alterius diocesis absq; commendationis licentia sui Episcopi non debet recipere. Aut nisi tempore, quo omnibus generatim in Terram sanctam aditus pateret, vt docent Hostiensis, & Abb. in ca. vii. de vot. & vot. redempt.

Quartò queritur, An liceat Monachis aliquid vouere absque expresso, vel tacito sui Abbatis consensu? Dux sunt opinioniones: Prima negat licere, quia Religiosus propriam voluntatem, qua sese abdicauit, non habet: vt c. Monacho, 20. q. 4. ex Regula S. Basilij aperte dicitur: Monacho non licet vota suscipere sine sui Abbatis consensu, si autem quippiam vouerit, seruandum non erit. Et ratio redditur, quia, inquit, propria se voluntate abdicauit. Et c. Noluit, 33. q. 5. habetur, religiosum propriam voluntatem non habere, quã in Abbatem trãtulit. Sic Ric. in 4. d. 38. a. 4. q. 1. Angel. Votum. 2. n. 2. Rosel. votum. 4. m. 14. Maior in 4. dist. 38. quest. 4. vers. dubitatur, qui vouere possunt. Primum, quia humana fragilitate, & religioſe vitæ oneribus bene perspectis & consideratis nulla potest addi noua obligatio sine periculo, & damno eorum, ad quæ faciendã, regularis obseruantia Monachum adstringit. Deinde, quia Religioſi votum est eius conditionis, vt in illud omnia alia temporalia cõmutetur, iuxta id, quod habetur in c. Scripturae, de vot. & vot. red. Secunda opinio affirmat, licere Monacho vota soluere absq; Abbatis consensu: dummodo vouentis animus non sit promissa prestare contra Abbatis voluntatẽ, aut cum eius incommodo. Ita ex S. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3. & ad 4. colligit Cai. 2. 2. q. 88. ar. S. Sot. li. 7. de iust. q. 3. ar. 1. dub. 2. Silu. votum 3. q. 3. Palud. 4. d. 38. q. 4. ar. 2. concl. 6. Hęc opinio magis cum ipsa ratione congruit, quoniam huiusmodi votis subest tacita conditio, si nimirum Abbati placuerit. Sic etiam opinatur Nau. in Man. c. 12. n. 67.

Quintò queritur, An Monachorum Vota sine Abbatis expresso, vel tacito consensu facta, rata, & firma sint? Et questio intelligitur de ijs votis, quæ sine regularis instituti detrimento persolui queunt. Ricardus, Angelus, Rosella, & Maior locis citatis, negant ea vota vilius esse momenti propter ea argumenta, quæ paulo ante proposui. Paludanus verò, Siluester, Caietanus, Sotus, & Nauarus supra citati affirmant ea vim habere, quousque Abbas ea irrita fecerit: quę sententia mihi verior apparet: dummodo vouens non habeat in animo contra Abbatis voluntatem, aut Regulę obseruationem venire.

Sextò queritur, Num Monachus, qui quippiam sine Abbatis consensu vouit, votum debeat Abbatem aperire, vt iure id persoluere queat? Respondeo, si quippiam vouerit ex numero eorum, quæ regulę, Constitutionesque prohibent, debet Abbatem de uoto certiore facere, nisi probabiliter crediderit eum illud acceptum, ac ratum habiturum: & tunc iure potest, q; vouit, exequi: alioquin minime; quoniam huiusmodi voto tacita conditio subest, si Abbati placuerit. Si verò vouerit aliquid eorum, quæ nec regulis, nec cõstitutionibus, nec vili præcepto aduersatur; nulla lege, iureque cogitur id Abbati patefacere: & proinde debet votum implere, cum potest, quousque illud Abbas rescindat, & irritum reddat. Sic Caiet. & Sotus locis supra citatis.

Septimò queritur, an Abbates, & cæteri Re-

ligionum præfecti quippiam vouere queant? Respondeo, nihil eos posse vouere, quod eorum munus impediatur. cap. Abbates 18. questio. 2. dicitur: Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant. Alia verò vota, quæ nihil obstant eorum publice functioni, & administrationi suscipere possunt. Quod si de aliqua re dubitetur, inturbet necne eorum munus, peti debet eorum, quorum sunt potestati subiecti, consensus. Olim iure communi Abbates in Episcoporum potestate erant, vt constat ex cap. Abbates, cap. Abbas, cap. Monasteria, 18. q. 2. nunc verò Romani Pontificis beneficio ab Episcoporum iurisdictione, & potestate liberi, soluti que sunt.

Octauò queritur, an seruis liceat aliquid Deo polliceri? Respondeo nihil posse, quod debitum Domino obsequium, vel ex toto, vel ex parte perturbet, vel impediatur. Et quoniam quicquid seruus habet, domini est, siue ad personam, siue ad operas, siue ad res pertineat; ideo nec reale votum emittere potest. L. Si quis rem. ff. de pollicitat. dicitur: Seruus sine auctoritate Domini voto non obligatur. Idem colligitur ex c. Si quis seruum. 17. quest. 4. Posset verò seruus cætera vouere, quæ nihil prorsus Domino incommodant, Verbi gratia, preces, castitatem, & id genus alia. Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andr. Abbas in ca. Scripturae, de voto, & vot. redempti. Theologi Palud. Caiet. Sotus cum S. Th. in 2. 2. quest. 88. ar. 3. Siluest. Angel. Rosell. locis supra citatis.

Nonò queritur, an filiofamilias fas sit, aliquid vouere? Respondeo nihil vouere posse eorum, quæ debitam domus, ac familię administrationem impediunt; cætera verò posse. Vnum tamen est simplex Religionis votum, quod liberè potest facere etiam ante pubertatis annos; pater tamen habet ius irritum illud faciendi. Vnde animaduertendum est impuberes, solemne Religionis votum, etiam si fuerint rationis compotes, ac doli capaces, emittere non posse. c. 1. de Regularib. in 6. vbi ei, qui ante decimum quartum etatis annum exactum, Religionis institutum solemni professione susceperat, libera facultas datur ad seculum redeundi: quod idem prius in c. Ad nostram, de Regularib. fuerat constitutum. Potest enim ius Canonicum eiusmodi vota irrita reddere, ne adoleſcentes in ea etate temerè, & inconsideratè Monasticam vitam arripiant. Scire autem oportet, ante Concilium Tridentinum iure antiquo post decimum quartum annum expletum, iuuenes Religioſorum instituta potuisse solemni voto profiteri: postea verò, decimus sextus annus completus ab eodem Concilio Sessio 25. cap. 15. de Regularib. requiritur ad professionem emittendam; alioqui nulla est Religionis professio: impuberes tamen simplex Religionis votum facere possunt; ac cætera personarum alia vota, quæ patris potestati non derogant, si doli capaces & metis compotes sint. S. Thomas 2. 2. questione 88. articulo octauo. & cæteri Theologi, & Summistę supra citati.

Decimò queritur, an liceat vxori sine viri consensu aliquid vouere? Respondeo ex Augustino in questionibus super Numeros (vt refertur capite Noluit, & cap. Manifestum, 33. que. 5.) non posse votum abstinentiæ facere; & proinde nullum aliud, si debita, ac necessaria coniugij obsequia, & opéra impe-

ra impe-

ra impediatur, ac turbet. Hoc igitur ita est intelligendum, ut quæ maritum offendunt, vel eius auctoritati, & potestati aliqua ex parte officiant, vota rata non sunt sine expresse, aut tacito eius consensu: quæ verò nihil viro nocent, vim, & locum habent, nec possunt ab illo dissolui. Glossa in c. Manifestum, 33. q. 5. communi consensu recepta. Si roges, an contra vir sine vxoris consensu vouere aliquid possit: Innocentius, Andreas, Antonius Butrius in c. Scriptura, de voto, & vot. redempt. aiunt non posse, quia vir, & vxor sunt pares. Sed verius est, quod Hostien. & Abb. in cap. Scriptura, de vot. & vot. redempt. & Glossa in c. Manifestum, 33. q. 5. tradiderunt, eum posse; quoniam vir est caput mulieris, 1. Cor. 11. & c. Cum caput, 33. q. 5. licet sint pares coniuges in petendo, & reddendo debito, ut dicitur in c. Gaudemus, de diuor. ijs.

### Cap. XVII.

#### Quando, & quomodo Vota possint irrita reddi.

**P**rimò queritur, quot modis vota dissoluantur, siue quot modis quis à voto solvatur? Resp. multis: ut docent Soc. l. 7. de Inst. q. 4. a. 1. Siluest. votum 4. q. 1. Angel. votum 2. c. 4. Nauarr. in Man. c. 12. n. 63. Rosel. votum 5. Ricard. in d. d. 38. ar. 4. q. 1. Primò, absolute. Secundò, commutatione. Tertio, redèptione. Quarto, relaxatione. Explico singulos breuiter. Tunc voti vinculo quis absoluitur, quando Ecclesiastici Superioris auctoritate voto liberatur. Votum verò commutatur, quado eadem auctoritate obligatio, siue materia voti in aliam materiam trãsfertur: Ut si peregrinationem voueris, quam Episcopus in ieiunia & eleemosynas commutat. Votum verò redimitur, cum eius obligatio pecunia loco eleemosynæ data compensatur. Redemptio enim voti nihil aliud est, nisi peculiaris quædam eius, vide licet in pecuniam commutatio. Commutatio enim fit in quamlibet rem; redemptio verò non nisi data pecunia. Porro votum irritum fit, siue Canonici iuris interpretes, & Theologi loquuntur, irritatur, quando Superioris, etiam ciuilem, siue profanam potestatem habentis, auctoritate omnino voti vinculum tollitur; aut quando non impleta, qua factum est, conditione expressa, vel tacita finitur, & cessat eius obligatio. Ex dictis perspiciatur, quid intersit inter hæc, videlicet, irritum votum facere, commutare, redimere, relaxare; de qua re Sotus, Siluester, Angelus, Nauarrus, locis citatis.

Secundò queritur, An vota facta antequam ijs, qui vouerant, essent in cura, & potestate alterius, irrita fieri queant ab eo, in cuius potestatem deuenere: Vt puta, an votum vxoris factum ante coniugium, & votum serui, quod ante seruitutem fecerat, & votum Monachi, quod ante ingressum in Religionem susceperat, maritus, dominus, aut Abbas possint dissoluere? Inter omnes conuenit posse huiusmodi vota irrita fieri, si aliqua ex parte officiant ei, in cuius potestate, & cura sunt ijs, qui vouerant, constituti. Vt apertè colligitur ex c. Noluit, 33. q. 5. & docent Ricardus, Paludanus, Astenfis, & inter Pontificij iuris Doctores, Innocentius, Hostienfis, Ioannes Andreas, Abbas, quos ci-

tant Siluester votum 4. quest. 2. Angel. votum 2. numero. Nauarrus cap. 12. numero. 65. versum. inter viginti autem.

Tota igitur præsens quæstio est de ijs votis, quæ Deo ante nuncupauerant, & nunc nihil domino, aut marito, aut Abbati nocent; de quibus prædicti auctores nihil expresse meminerunt. Videtur quibusdam, ea posse dissolui: quoniam ijs auctores generaliter concedunt posse omnia relaxari. Et ratio id videtur efficere, quia etsi voluntas eorum, qui vouerant, dum vota facerent, alteri subiecta non erat, modo tamen subijcitur. Mihi videtur distinguendum. Nam in primis, aut vota sunt Monachi, aut serui, vel vxoris, vel alterius. Vota Monachi omnia, quæ fecit antequam Monachus esset, in votum Religionis perpetuæ ipso iure commutantur, ut infra clariùs apparebit. At verò vota ante seruitutem, vel coniugium facta, si domini, vel mariti debitis obsequijs aliqua ex parte sint incommoda, dissolui possunt: cetera non item, quia, ut statim dicemus, non omnia vota serui, vel vxoris potest Dominus, aut maritus irrita facere.

Tertio queritur, Penes quos sit potestas dissoluenti, hæc est, irrita faciendi vota? Resp. cum Sotus lib. 7. de Inst. quest. 3. artic. 1. Siluest. votum 4. quest. 2. Angel. votum 2. numero. 11. Nauarr. c. 12. numero. 65. in Manuali, esse penes eos, quorum potestati, curæ, administrationi rei domesticæ & familiaris subiecti sunt, qui Deo vota nuncupant; è quibus sunt dominus, pater, tutor, curator, maritus, Abbas, comparatione seruorum, filiorum familias, pupillorum, minorum, vxorum, & Monachorum. Ex quo intelligitur, eiusmodi auctoritatem non esse Ecclesiasticam, aut spiritualem, sed ciuilem, & profanam. Deinde hanc potestatem non ex iure Canonico, sed ex iure naturali descendere; quoniam tota in gubernatione & administratione rei domesticæ & familiaris innititur, aut in potestate, qua quidam non suis, sed alieni iuris esse dicuntur, cuiusmodi sunt seruus, & filius familias. Vnde fit, ut hæc potestas vota irrita faciendi sit etiam penes gentes à Christi fide & Religione alienas. Põstremò constat, hoc ius pertinere ad Superioris potestatem ratione rei, & materie voto promissæ: quæ cum Superioris potestati aliqua ex parte noceat, ipsi subijcitur; & proinde votum locum, & vim non habet, nisi ratum id habeat. Hinc etiã efficitur, ut penes Episcopum non sit talis auctoritas rescindendi vota eorum, quorum spiritualis cura est ipsi commissa: non enim domesticam eorum administrationem & curam gerit.

Quæres, an saltem Romanus Pontifex auctoritatem habeat reddendi irrita, & dissoluendi vota laicorum, seu hominum secularium? Respondeo Soc. loc. cit. non habere, quia eius cura non est domestica administratio, & gubernatio personarum. Deinde quæres, an saltem Clericorum, Monachorum, & Religiosorum possint vota rescindere? Sotus id videtur concedere l. 7. de Inst. q. 3. a. 1. Sed distinguere oportet. Aut enim sunt vota Clericorum, qui nullius religionis solenni professione adstringuntur: aut sunt vota Monachorum, vel aliorum Religiosorum. Si vota sint Clericorum, qui ab omni religionis instituto, & vinculo liberi, & soluti sunt, quauis in ea plenam potestatem sim-

plici.

placiter habere non videatur: at si Clericus vo-  
uerit aliquid, quod ad gubernationem Eccle-  
siarum, Beneficiorum, & rerum ecclesiastica-  
rum pertineat, videtur id votum posse irritum  
facere: tum quia tacita conditione videtur fa-  
ctum, ea nimirum, si Romano Pontifici placue-  
rit: tum quia aliqua ex parte eius supremæ pote-  
stati obest. At in cæteris votis, quæ ad preces, ie-  
iunia, vel eleemosynas pertinent, non videtur  
Romanus Pontifex talem potestatem habere: li-  
cet ea possit redimere, & commutare, & eorum  
vinculo ligatos absolueri iustis de causis.

Monachorum verò & Religiosorum vota iux-  
ta Caietani in 2. 2. quæst. 88. artic. 12. & Nauarri in  
capit. 12. numer. 76. in Manuali. sententiam, potest dis-  
soluere, & irrita reddere; quia hæc vota non ma-  
gis videntur esse subiecta Religiosorum Præfe-  
ctis, quam Romano Pontifici. Ergo sicut illi pos-  
sunt, potest potiori iure, & ratione Pontifex:  
nam tacita conditione videtur facta, si ipsi vi-  
delicet grata, acceptaque sint. Existimo ea omnia  
posse liberè relaxare, quæ possunt Religionum Præfe-  
cti, & alia multa, quæ nec ipsi Præfecti  
queunt. Ex dictis perpicitur, posse eam foemi-  
nam, quæ cæteris sanctimonialibus præest, ea-  
rum vota dissolvere, quæ bonæ totius familiæ  
gubernationi incommodant, SI QUÆRAS, an  
ij, qui vice aliorum Superiorum funguntur, ha-  
beant auctoritatem irrita faciendi vota eorum,  
qui sunt in cura, & potestate superiorum: videlicet  
ea subditorum vota, quæ possent rescindere Su-  
periores, si adessent? Resp. posse, si illam vicari-  
am iurisdictionem habeant auctoritate legis,  
canonis, vel cõstitutionis, vel auctoritate princi-  
pis, aut alicuius alterius legitimi Superioris, vel  
auctoritate ipsius Superioris, cuius vice fungit,  
dummodo ab eo demandatam iurisdictionem  
habeant generalem ad omnes causas, & nego-  
tia, nõ contractã, & restrictã ad certas causas.

Quartò queritur, An vota auctoritate legiti-  
ma semel irrita effecta reuiviscant postea, cum  
ij, qui vouerant, à potestate, & gubernatione al-  
terius eximuntur? Sensit Innocentius in cap. Scri-  
ptura, de voto, & voti redempt. filiorum familias vo-  
ta impleri, & reddi debere potestate patriã so-  
luta. Idem fortassis dixisset de votis vxorum, ser-  
uorum, & Monachorum. Cui sententiæ ad stipu-  
lantur Hostiensis, Ioann. Andr. Antonius Butri-  
us ibidem, & Rosell. in verbo, Votum, 2. numero 7. &  
numero 13. vt testatur Siluester votum 4. quæstione 2.  
Abbas verò in capit. Scriptura, citato, ait, se de hac  
sententia Innocentij dubitare ob ea, quæ dicuntur  
in capite Quidam, & capite Placet, de conuers. coniug.  
Vbi, si vir est in Religionem ingressus contradi-  
cente, vel ignorante vxore; ea repetente, cogitur  
egredi; nec mortua vxore, ad regrediendum in  
Religionem compellitur, quoniam quo tempo-  
re non poterat, in eam fuerat ingressus, & eam  
professus. Ergo idem, inquit Abbas, iuris est in fi-  
lio. Theologi, Caietanus, 2. 2. quæstione 88. articulo 8.  
versiculo Vota subditorum, Sotus libro 7. de Iustitia, quæ-  
stione 3. articulo 1. versiculo Aliud post dubium, sequitur.  
Siluester votum 4. quæstione 2. Angel. votum 2. quæsti-  
one 17. Nauarrus in Manuali, capite 12. numero 66. ex  
Paludano 4. distinctione 38. quæstione 4. Innocentij  
sententiam refutant, eo quod obligationes ex-

tingentæ non redeunt, nisi reuocentur. Nam in l. cõ  
ex causa. c. de remissione pignoris dicitur: Obligatio semel  
extincta inflaurari non potest. Item: Mortua non reuiviscunt  
per naturam. Rosell. Innoc. defendit, quoniã ait vo-  
ta non fuisse extincta, sed suspensa & quasi sopita:  
nec enim Innocentius ignoabat semel sublata  
& rescissas obligationes non redire. Profecto In-  
nocentius nunquam docuit vota semel irrita fa-  
cta reuiviscere, sed solum vota filiorum familias  
patriã potestate soluta impleri, ac reddi debere:  
nam eò quod facta sunt absolurè, & simpliciter,  
censentur implenda ad tempus, in quo filij fami-  
lias erunt sui iuris, & interim viuent patre su-  
spensa: vt Innocentij sententia intelligatur, scire  
oportet eos, qui sunt in potestate aliorum, posse  
vota facere tripliciter. Primum, ita vt vota ipsa re-  
ferantur ad tempus, in quo erunt sui iuris ij, qui  
vouent: & hæc vota non semper possunt irrita fa-  
cere Superiores, vt dicam inferius. Secundo mo-  
do, ita vt referantur expressè ad tempus, in quo  
ij, qui vouent, non sui, sed alieni iuris sunt: & hæc  
vota, si irrita faciant Superiores, nunquam post-  
ea reuiviscunt: nec Innocentius hoc negauit. Ter-  
tiò, si iura vota possunt absolurè, & simpliciter, ita  
vt nec referantur ad tempus, in quo non sunt sui  
iuris, qui vouent, nec ad tempus, in quo sunt sui  
iuris: & hæc vota si Superior irrita faciat, inquit  
Innocentius, id locum habet in ea parte, qua po-  
test, non in alia; hoc est, facit irrita toto tempore  
quo ipse habet in potestate suã eum, qui vouet,  
non tamen eo tempore, quo qui vouet, ab ipsius  
potestate solutus, ac liber erit. Primum enim po-  
test, secundum non item. Hæc est sententia Inno-  
centij quam nihilominus cæteri, quos supra no-  
minaui Auctores, meritò reliquere.

Quintò queritur, An ad votum rescindendũ,  
iusta causa requiratur, an verò sola voluntas suf-  
ficiat eius, qui ad id habet potestatem? Non que-  
ritur hic, An si Superior absq; causa votum irri-  
tum reddat, valeat id, quod facit: nam, conuenit  
inter omnes, valere: sed solum queritur, an pec-  
cet? Sunt, qui putent, oportere iustam aliquã cau-  
sam iubesse; alioqui erit opus otiosum. Sed verius  
est, quod tum Canonici iuris periti, tum Theolo-  
gi, & Summistæ docuerunt, nullam causam requi-  
ri, vt ipsa voti relaxatio sine peccato fiat: quoniã  
vota facta sunt ea tacita conditione, si ea superio-  
ri placuerint. Præterea in hoc potestas rescindē-  
di, & dissoluendi vota; distinguitur à potestate  
absoluendi: quod votorum absolutio, vt per Su-  
periores absq; peccato fiat, causam iustã, ac de-  
bitam postulat, vt postea dicemus; at voti abroga-  
tio nõ item. Postremo, quia superior ideo potest  
votum subditi irritum facere, quia est votum in  
materia, & re ipsi subiecta, & quæ ei incomodat,  
& nocet, ergo suo iure vt potest. Nec obstat, qd di-  
citur otiosum esse opus, si superior votum irritũ  
facit absq; causa: nam aliud est votum otiosè su-  
periorè rescindere, aliud sine causa iusta, sola vo-  
luntate rescindere. Non enim in præsentia qua-  
rimus, otiosè nec ne superior voti vinculum re-  
scindat, ac dirimat; sed an peccet, si votum irritũ  
faciat nudo, & arbitrato suo absq; alia iusta cau-  
sa? Et dicimus, non peccare; quoniam suo iure vti  
tur. Ita Siluester votum 4. q. 2. vers. 6. Innoc. Ioan.  
Andr. Hostiensem secutus, Angelus votum 2. nu-  
mera

mero decimo, Paludanus 4. distinctione 33. questione 4. art. 2.

Sexto queritur, an qui habet potestatem dissolventi vota alicuius sibi subiecti, si ea semel rata, & accepta habeat, possit postea nutu suo absq; vlla alia iusta causa, eadem rescindere. Resp. iusta aliquando posse causam accidere, vt postea dissoluar pro occasionibus nouis oblatis. Si verò semel relaxata fuerint, & irrita facta, siue causa iusta, siue absq; illa, ratum, & firmum est, quod fit, & nihil peccat is, qui vouit promissa non præstans. Ita Silvester, Angelus, Paludanus, Caietanus locis supra citatis. Ita etiam Canonici iuris Doctores, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas & Abbas locis item supra relatis.

Quæres, An peccet Superior, cum votum subditi irritum facit sine causa, postquam illud votum ratum habuit? Resp. cum Silu. votum 4. que. 2. vers. 6. Nauarro c. 12. sui Manual. nu. 61. cum peccare, quia postquam votum semel ratum habuit, non debet illud sine causa rescindere. Item, postquam subdito facultatem dedit, qua votum fecit, non debet absq; causa eam facultatem reuocare.

Septimo queritur de Votis filiorum familias, An omnia vota filiorum familias possit pater irrita reddere? Respondeo in hunc modum: Si Vota videlicet personalia Religionis, aut Castitatis simpliciter facta à filio sint ante decimum quartum annum, aut à filia ante duodecimum, omnia possunt à patre dissolui, vt constat ex c. 1. de Regularibus in sexto. & c. Ad nostram, de Regularibus: & colligi potest ex c. Si annum, de iudicijs, in sexto. Post id temporis verò distinguendum est: Aut vota filij nihil iuri, potestati, & domesticæ gubernationi patris officiant, & hæc Vota nequeunt à patre rescindi, qualia sunt vota Religionis, Castitatis, sacrorum Ordinum suscipiendorum, certarum precum recitandarum, certi deniq; facinoris, siue peccati euitandi: Aut aliqua ex parte potestati patris incommodant, & ea vota potest iure dissolui, veluti, si filius familias voueat elemosynas, abstinentias, ieiunia, peregrinationes.

Communis quoq; omnium auctorum sententia est, penes tutorem esse potestatem irrita faciendi vota pupilli, & penes Curatorem ius esse rescidendi vota realia, non personalia minoris: nam sicut filius familias refertur ad patrem, in cuius patria potestate est; sic pupillus ante decimum quartum annum refertur ad tutorem, quando patrem non habet. At minor refertur ad curatorem post decimum quartum annum, vsque ad vigesimum quintum annum: in quo tempore curator solum potest irrita facere vota realia minoris, non personalia: cum tamen tutor ante decimum quartum annum ius habeat rescidendi vota pupilli realia, & personalia: quia filius familias ante eum ætatis annum plenum rationis iudicium ad faciendum votum habere non creditur.

Animaduertendum tamen est, filios familias aliquando bona castrensia, vel quasi castrensia possidere, quorum bonorum dominium, & vsus penes ipsos est: quare sicut ex ijs bonis potest filius familias suo iure aliquid in pauperum vsus impendere, ita etiam vouere se aliquid daturum ex eis. Sed quid? Si filius familias sim-

plex Religionis votum, vel aliud quodlibet personale fecerit ante decimum quartum annum, & illud votum pater ante id temporis nequaquam rescindit, an postea illud dissolui iure possit? Pono exemplum: Filius familias vouit Castitatem, vel in Religionem ingressum, cum duodecimū ageret annū, nunc verò annū agit decimum octauum. Queritur, an penes patrem sit potestas votum illud irritum faciendi? Dux sunt opiniones: Vna negat, quam tenuit Sotus in libro 7. de Iustitia, questione 3. articulo 2. Alter affirmat, quam probauit Caietanus 2. questione 189. articulo 5. cui sententiæ subscripsit Nauarrus capite 12. sui Manualis, num. 71. & ego etiam ipse libentius subscribo. Sed sciendum est, vt bene etiam Caietanus, & Nauarrus annotarunt: si filius familias post elapsum decimū quartum annū votū antea factum denuo confirmauerit, illud nequaquam posse à patre irritum reddi: quoniam perinde est, ac si filius post decimū quartū voueret annū. Neq; verò filius votum denuo confirmasse, censetur ex hoc, quod centies, aut milies credens suum votum valuisse, in animum inducat, & decernat illud tanquam ratum, & acceptum exsoluere: hoc enim non est votum denuo confirmare, eo quod per ignorantiam voto consentit, ratus id vim habuisse, cum primum fecerat. Denuo igitur votum confirmare dicitur, cum illud redintegrat, ac repetit, tunc enim voto nouum consensum accomodat.

Quæres, an idem iuris sit de seruo? Fingamus enim seruum, dum est in potestate domini, quippiam vouere, cuius votum nunquam Dominus dissoluit: finge quoque postea seruum Domini potestate solutum, sui iuris esse factum. Queritur, an penes Dominum sit potestas eiusmodi votum dirimendi? Sotus idem iuris Domino concedit in votum serui, quod patri in votum filij: ex quo deducit suam sententiam, patrem scilicet non posse votum filij rescindere ante decimum quartum annum, postquam filius id ætatis excefferit: Quia Dominus, inquit, non potest votum serui in seruitute factum dissolui, postquam in effectum est liber. Sed alij hæc opinio Soti ex parte non placet: & merito: pater enim in vniuersum potest filij vota Religionis ante decimum quartum annum irrita facere; at Dominus non omnia potest serui vota dissolui, sed ea dumtaxat, quæ aliqua in parte ipsius serui operas & debitum, ac necessarium obsequium impediunt. Iura item patri concesserunt, vt omnia personalia, & realia vota filij ante decimum quartum annum relaxet, ac dirimat, si velit: quia ante dictam ætatem, filiorum voluntas imperfecta censetur, vt potè pleno rationis iudicio, & deliberatione carens: at vota seruorum non ita rescindit Dominus, quod eorum voluntas imperfecta iudicatur, sed quod eorum actiones, operæ, obsequia, res, & bona domino debeantur. Ex quo efficitur, vt filij vota Religionis ante decimum quartum annum necdum à patre relaxata, possit pater dissolui, postquam filius eam ætatem excefferit, quia voluntas, qua ea facta sunt, imperfecta fuit, & proinde patris potestati subiecta, nisi noua post eam ætatem filij voluntas, quæ in iure perfecta censetur, accesserit.

**QVAERES** deinde, an post Concilium Tridentinum, in quo, tempus solemne Religionis professionem emittendi, protrahendum est ad annum decimum sextum *Seffio 25. cap. 15. de Regularib. eo ipso prorogatum sit quoque tempus patriæ potestatis, & iuris in vota filiorum, ita ut pater ius habeat omnia eorum vota, si Religionis fuerint, rescindendi ante decimum sextum annum?* *Respondeo*, minimè; quoniam Concilium tantummodo professionis tempus ad decimum sextum annum extendit: In cæteris Religionis votis simplicibus, ius commune non corrigit.

**QVAERES** in super. An mortuo patre iure mater filij vota Religionis ante decimum quartum annum relaxet? *Respondeo*, nequaquam, quatenus mater est, quoniam mater patriam potestatem in filios non habet, filius enim post patris obitum sui iuris effectus est, quod si mater filiorum sit tutrix, id poterit iure tutricis, non matris: Ita ut patria potestas in vota filij post eius obitum, in tutorem, non in matrem transferit.

**Octavo queritur**, An si filius ante decimum quartum annum vota Religionis, vel alia personalia fecerit animo, & voluntate sese Deo obligandi, ea que persolendi, postquam eam ætatem excefferit, possit pater ea vota dissolvere. Quod perinde est, ac si quaereretur, an vota personalia, quæ filius familias ante decimum quartum annum facit, & ea referat ad tempus, in quo sui iuris erit, possit pater irrita facere? *Quidam* negant, eo quod huiusmodi votorum solutio referatur ad tempus, quo filij erunt extra annum decimum quartum, & hanc putant Innocentij, Hostiensis, Ioannis Andree, & Abbatis fuisse sententiam *in c. Scriptura de voto, & voti redempti*. Alij verò affirmant, posse ea vota irrita fieri, auctoritate patris, siue tutoris, quia filiorum voluntas, dum vouent, est patriæ potestati subiecta, tanquam imperfecta: quoniam Canones, leges, & iura filios familias nondum puberes iudicant pleno rationis usu carere. Idem iuris est de votis realibus, quæ faciunt filij impuberes, & ea referunt ad tempus, in quo sui iuris erunt omni potestate patria soluti. Quæ sententia verior alij videretur. Ita sentit Syluestri religio. 2. quæst. 15. versic. Sed si impubes. & citat Rainer. Astensem, & alios. Idem dicit, votum 4. quæst. 2. versic. 5. Nam iura, inquirunt, hanc potestatem patri ante decimum quartum annum concedunt, quod ante id tempus filiorum voluntas imperfecta merito iudicatur. Vnde parum refert, si filij dum vouent, voti solutionem in tempus libertatis plenæ, ac perfectæ rejiciant: Satis enim est, si eorum vota, eo quod ex imperfecta voluntate facta esse iure creduntur sint patri potestati subiecta. Nec illi tamen concedunt, idem iuris esse in votis seruorum, vxorum, vel Monachorum, qui dum vouent, vota sua persoluenda in tempus suæ libertatis, & iuris coniungunt, ac referunt. Innocentium autem, Hostiensem, Ioann. Andream, & Abbatem hoc solum voluisse testantur, licere filijs sine consensu patrum, ita vouere, non tamen negasse, ea posse patria potestate dirimi, ac rescindi. Mihi hæc sententia probatur, nam merito iura censent, filios ante decimum quartum annum, & filias ante duodecimum annum plenæ animi deliberatione vota non facere; & ideo voluerunt,

ut eorum vota intra huiusmodi ætatem possent irrita fieri auctoritate patris. **Si QVAERAS**, an possit pater, aut curator irrita facere vota realia, quæ filius, siue minor vouendo refert ad tempus, in quo erit sui iuris, si filius, aut minor excefferit, dum vouerit, pubertatis annos. *Respondeo*, non posse, quia huiusmodi vota fiunt ex plena animi deliberatione, & referuntur ad tempus, in quo filij erunt extra potestatem patris, siue curatoris: nec iura concedunt hanc auctoritatem patri, vel curatori.

**Nono queritur** de votis seruorum, An Dominus possit in vniuersum omnia serui vota dissolvere, Sotus loco citato id videtur concedere. *Sed communi Canonici iuris interpretum, & Summistarum sententia comprobatur est, ea tantum vota dominum posse rescindere, quæ iuri, ac potestati ipsius aliqua in parte officiant, & obstant.* Serui enim opera, ars, industria, labor, & res vniuersæ in bonis domini numerantur. Hæc sententia colligitur ex Innocentio, Hostiensis, Ioan. Andree, & Abbate *in cap. Scriptura, citato*: eam verò habent expresse Angelus, Syluester, & Caietanus. Rosella locis supra citatis.

**Decimo queritur**, An dominus possit serui votum dissolvere, quod fecerat antequam in eius potestatem deueniret? *Respondeo*, Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, & Abbatem *in cap. Scriptura, innuere*, eum posse, si domino incommodet; alioqui, minimè. Ratio vtriusque est, quia dominus habet ius relaxandi vota serui in seruitute facta, si ipsius potestati noceant, cætera verò non item: Ergo habet quoque potestatem ea vota dirimendi, quæ ante seruitutem sunt facta, si ei sint incommoda, alia verò minimè.

**Vndecimo queritur**, An dominus ius habeat dissoluedi vota serui, quæ seruus ipse ad tempus suæ libertatis, & iuris persoluenda promittit? *Ex dictis Innocentij, Hostiensis, Andree, & Abbatis loco citato, deduci videtur, non habere; quoniam eorum votorum solutio ad tempus libertatis cõfertur; & proinde nihil domino cõstant.* *Et ita mihi hoc magis probatur: quoniam, ut ex paulò ante dictis colligitur, dominus nequit serui vota rescindere, nisi quæ sibi aliquid afferunt incommodi.* *Sed quid si seruus votum faciat, ad id tempus libertatis suæ, & ad tempus quoque seruitutis persoluendum, an dominus possit irritum facere.* *Respondet Syluest. votum 4. quæst. 2. dictio. 5. posse, quod colligit à simili ex cap. Placet, de conuers. coniuga. idem confirmari potest ex cap. Quidam eo. tit. vbi habetur responsum pontificium de quodam coniuge, qui inuita vxore religionem susceperat, & ea mortua superstes erat: rogatus Pontifex, an vi voti facti coniux superstes ad religionem redire deberet, respondet, ad id faciendum vi voti non compelli: quamuis coniugale debitum exigere nequeat: quoniam votum, inquit, quo est religionem professus, non valuit; & ideo vxor maritum suum iure repetiuit, & religionis votum irritum fuit. Et ideo vxore mortua votum religionis non reuulsiuit. Ergo pari ratione votum serui auctoritate legitima domini irritum factum redire amplius non potest. Mihi tamen hæc sententia Syluestri non placet: & vtor simili argumento: si vir religionem vouisset, & votum suum reuulsiisset ad tempus, quo de functa*



vxore si perites esset, vim profecto votum habuisset, nec potuisset vxoris potestate dissolui, quia nihil vxori nocuisset: ergo si feruus faciat votum, & illud conferat ad tempus, quo erit sui iuris, auctoritate domini dissolui non potest. Quare dicendum puto: Seruum tripliciter vouere posse: aut enim refert votum ad tempus, in quo erit sui iuris; & hoc votum dominus irritum facere nequit: aut refert expressè ad virumque tempus, videlicet libertatis, & seruitutis: & hoc potest dominus ea parte, qua sibi nocet, dissoluere, ex altera parte non item: aut non refert ad vllum tempus expressè; & hoc potest simpliciter domini auctoritate dissolui, nec amplius reuocari.

Duodecimò quæritur de votis vxorum, An penes virum sit potestas omnia vxoris vota dissoluendi? Sotus loco citato, etiam videtur asserere, tale ius penes eum esse. Sed communis Pontificij iuris Doctorum, & Summistarum opinio negat marito id iuris esse, hoc enim insinuant Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Angelus, Syluester: è Theologis verò Richardus, Paludanus, Caietanus locis supra citatis. Vir igitur ea duntaxat legitime vxoris vota dissoluit, quæ sibi obstant, & incommodant, vel bonam domus, & familiæ administrationem impediunt: vt si vxor voueat peregrinationes, abstinentias, ieiunia, potest vir hæc vota dissoluere: cætera verò non item, cuiusmodi sunt vota recitandi preces aliquas, largiendi eleemosynas ex ijs bonis, quorum habet liberam potestatem, & administrationem: aut si votum fecisset vxor, non mentiendi, nõ peierandi, non dicendi falsum testimonium, vim habuisset, nec potuisset maritus votum huiusmodi irritum facere.

Decimotertiò quæritur, An è contrario possit vxor viri vota relaxare? Innocentius in cap. Scripturae, citato, innuit posse, ita dicens: Sicut vxor nihil potest sine viri consensu vouere, sic nec vir sine vxoris voluntate, quoniam vir, & vxor pares iudicantur, cap. Gaudemus, de diuorij. Verum contra Innocentium, Hostiensis, & Abbas in eodem capite, merito negant, id potestatis esse penes vxorem. Nam licet, quod attinet ad coniugale debitum pendendum, siue reddendum, sint pares coniuges, in quo locum habet allatum ex iure testimonium; in ipsa tamen domus, & rei familiaris administratione pares minimè iudicantur. Nam vir caput est mulieris, teste Apostolo 1. Corinth. 11. & vt habetur in cap. Cum capus 33. q. 5. Vxor igitur sine consensu viri nequit aliquid polliceri, quod viri potestatem aliqua ex parte impedire, aut perturbare possit. Vir tamen suo iure ieiunia, eleemosynas, abstinentias, peregrinationes, & alia id genus multa iure vouet absque vxoris consensu.

Decimoquartò quæritur, An vir ea vxoris vota iure dissoluat, quæ vouerat ante coniugium? Respondeo cum Innocentio, Hostiensis, Ioan. Andree, Abbate, Glossa, Angelo, Syluestro, & Rosella locis supra citatis, ea posse vota dirimere, quæ sibi, & administrationi familiæ, rei; domesticæ noceant. Quod facile deducitur ex cap. Noluit. 33. q. 5. at cætera minimè. Ratio huius est, quoniam sicut post coniugium facta vota, quæ sibi officiant, iure dissoluit, alia verò nequaquam: sic eodem iure

potest rescindere vota vxoris, Deo ante coniugium nuncupata.

Decimoquintò quæritur, An si vxor quippiam vouerit implendum post solum matrimonium possit maritus dissoluere? Respondeo ex paulo ante dictis, non posse: nam nihil viri potestatem in administranda re familiari, & domestica lædit, aut impedit.

Decimosexto quæritur de votis Monachorum, num Abbas in vniuersum ea rescindere, ac dirimere queat? Dux sunt opiniones: Prima docet ea tantum posse, quæ eius potestatem, & administrationem aliqua ex parte inturbant. Vt cum Monachi aliquid pollicentur in ijs, quæ sunt Abbatis potestati subiecta. Sic Caietanus 2. 2. q. 88. art. 8. Quam sententiam videntur docuisse Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas in cap. Scripturae, de voto, & voti redempti. cum aiunt, non licere Monacho quippiam sine Abbatis consensu vouere, quoniam eius voluntas Abbati subijcitur. Secunda opinio generaliter tradit posse Abbatem omnia Monachi vota dissoluere, ideo quòd omnem suam voluntatem in Abbatem transfulerit. Sic Angel. verbo, votum 2. nu. 3. Syluest. votum. 4. q. 2. dicto. 5. Sot. lib. 7. de iust. quest. 3. art. 1. Rosell. votum. 2. num. 14. Nauar. in Manuali, cap. 12. num. 65. qui cum esset antea Caietani sententiam secutus, eam postea renouauit. Vnde Abbatis potestatem in Monachorum vota fatentur talem esse, qualem habet pater in omnia filiorum Vota ante decimum quartum ætatis annum in masculo, aut duodecimum in puella: sicut iura, in quibus, patri conceditur plenum ius, eo quòd, eo tempore imperfecta sit filij voluntas, sic etiam Abbas plenam potestatem habet in vota Monachi in fauorem, & gratiam Religionis, qua Monachus se omni voluntate abdicauit. Item, ne Monachus noua sibi onera imponat post susceptum Monasticæ vitæ institutum. Acque hæc opinio probabilior mihi videtur.

Decimosextimò quæritur, An Abbas ius habeat, & auctoritatem dissoluendi vota Monachorum facta ijs in rebus, quæ ad Regulas, & Constitutiones Monastici pertinent instituti? Negant quidam, quando Abbas non potest Monachos Regula, aut Constitutionis vinculo soluere: secus, si possit. Sed vniuersè videtur oppositum esse probabile, quod alij tradiderunt, eo quòd ex proxima questione liquet eum talem potestatem habere. Ratio in promptu est, quoniam licet materia voti ei subiecta non sit, si neminem possit Regulis, & Constitutionibus soluere, Monachi tamen voluntas ei plene subijcitur, ita vt iure prohibere queat, Monachos se nouis Votorum vinculis obstringere.

Decimoctauò quæritur, An si Monachus transiit ad arctius Religionis institutum vouerit, liceat Abbati eiusmodi votum rescindere? Caietanus negat loco citato, negat etiam Nauar. cap. 30. de voto, & voti redempti. num. 2. & hoc ideo, quia putant Abbatem non posse Monachi vota dissoluere ijs in rebus, in quibus ille nõ est ipsi subiectus, qualis est huius liquet materia: nam cui libet Monacho licet ad arctiorem Religionis normam, & regulam commigrare. c. Licet, de regularib. Immo ipse Caiet. hoc argumento vtitur ad suam sententiam

comproban-

comprobendam. Nam si Abbati ius esset dissol-  
uendi vota in his, in quibus ei Monachus minimè  
subijcitur, eidem quoque ius esset votum eiusmo-  
di rescindendi.

Mihi tamen aliter videtur dicendum, nempe  
id voti non posse ab Abbate relaxari, non quod  
cetera non possit, sed quia ius canonicum expres-  
sim hoc ab Abbatis potestate exceptum esse con-  
stituit. Nam concedit Monachis liberum transi-  
tum ad seuerius, & durius vitæ Monasticæ infli-  
tum, petito saltem, licet non obtento Abbatis  
consensu. *cap. Licet. de regularibus.* Quod si Abbati  
tantum iuris esset, & potestatis, hoc votum scilicet  
pro nutu suo relaxandi, gradum profecto, &  
transitum ad arctiorem Religionem interclude-  
ret, & spem, ac liberam facultatem transeundi  
præcideret.

Decimononò quæritur, An si Monachus voueat  
aliquid ad tēpus, quo erit extra Abbatis, cui sub-  
est, potestatem, persoluendum, possit, in cuius  
nunc est potestate, dissoluere? Quidam id negant,  
argumento à simili permoti. Supra enim diximus  
nequire dominii, aut maritum vota relaxare ser-  
ui, vel vxoris tempore libertatis implenda. Ve-  
rùm mihi certè magis placet aliorum sententia,  
asserentium non idem iuris esse in huiusmodi votis  
Monachorum, quod iuris est in votis serui, &  
vxoris. Et Monachum in hoc potius filio impube-  
ri comparari: ita ut, sicut iure patet vota filij ante  
decimum quartum annum rescindi, etiam si fi-  
lius iusta, & recta conscientia ea vouerit post an-  
nos pubertatis exoluenda; sicut etiam Abbas pari-  
ratione, & iure Monachi similia vota dissoluat.  
Pater dissoluit vota filij, quia volūtas patris eo tem-  
pore imperfecta censetur. Abbas potest vota Mo-  
nachi irrita facere, quia voluntas Monachi est  
Abbati in omnibus subiecta.

Vigesimò quæritur, An vota Nouitiorum ab  
Abbate iura conscientia dissolui, & dirimi que-  
ant? Respondet Nauar. in *Manu. c. 12. m. 65.* nō posse:  
quia Nouitij nondū sunt in Religioforum sodali-  
tate cooptrati: asserit tamē, Abbatem posse ea vo-  
ta suspendere toto eo tēpore, quo sunt nouitij, nā  
iusta subest causa, ex qua ad tempus eiusmodi vo-  
ta differantur. Quæ sententia alijs non omni ex  
parte probatur: Aut enim, inquit, vota Nouitij  
facta sunt ante ingressum in Religionē, & in hæc  
nihil iuris, & potestatis Superior habet, quod at-  
tinet ad facultatē ea vota irrita reddēdi, aut post  
ingressum: quæ rursus, aut Superioris potestatem  
aliqua ex parte impediunt, & rescindi, ac dissol-  
ui queunt ab Abbate: quoniam Nouitius, dum pro-  
batur, Religionis Præfecto subijcitur: aut nihil  
impediunt, & hæc rescindi non possunt. Item a-  
iunt: Si Nouitius votum fecerit, & illud retulerit  
ad tēpus, quo sui iuris extra Religionē erit in Re-  
ligiosa vitā nō perseuerans, irritū reddere Super-  
rior nō poterit, vt ex dictis facillè constat. Ego cū  
Nauarro dicendum existimo, vota Nouitij in vni-  
uersum, siue personalia sint, siue realia, irrita fieri  
per Superiorem non posse, quia nullum in ea ius  
Superior habet: sed vel suspenduntur, & differū-  
tur ad tempus, eo quod dum Nouitius probatur,  
impleri cōmodè nequeunt: vel in ipso probatio-  
nis, & tyrociniij tempore exolui debent, eo quod  
nihil Nouitio obesse videatur. *Sylu. voti. 4. q. 7. d. 3.*

Vigesimoprimum quæritur, An vota, quæ a aliquis  
ante monasticam vitam susceptam fecerat, hoc  
est, ante ingressum in Religionem, Abbatis aucto-  
ritate dissolui queant? Respondet, dum Nouitius  
est, ea vota ipso iure, quasi sopita esse, & ad tem-  
pus dilata, si vna cum Religionis instituto seruari  
nequeunt, qualia sunt aliqua vota personalia  
ie iuniorum, vel peregrinationum: secus imple-  
ri debere, qualia sunt aliqua vota realia de ele-  
mosynis in vsum pauperum largiendis. *Iba Sylu.  
votum. 4. quest. 7. versic. Tertium secundum Archiepiscopum.* Solenni verò professione Religionis emissa,  
omnia vota personalia finiuntur, & cessant, quoniam  
in ipsum Religionis votum perpetui, communi  
iure commutantur, & *Scripturæ, de voto, & vo-  
ti redempti.* vt capite sequenti apparebit.

## Caput XVIII.

### De Votorum Commutatione:

PRIMO quæritur, An Superioris potestas, &  
auctoritas requiratur ad commutandum vo-  
tum in maius, præstantiusque bonum? Non voca-  
tur in dubium absolute, & simpliciter, an in com-  
mutatione votorum Superioris auctoritas sit ne-  
cessaria: nam S. Thomas 2. 2. quest. 88. art. 12. aperte,  
& clarè respondet in hunc modum: *Votum, est Pro-  
missio Deo facta de aliquo, quod si Deo acceptum. Quid sit  
autem in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex  
eius pendet arbitrio. Prælati autem in Ecclesia gerit vicem  
Dei; & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum  
requiritur Prælati auctoritas, quæ in persona Dei determi-  
net, quid sit Deo acceptum.* Hæc Sæctus Thomas: Idem  
prorsus ait Richardus 4. dist. 38. art. 8. quest. 1. Idem  
etiam docet Bonauentura in 4. dist. 38. art. 2. quest. 2.  
Quod ergo quæritur est, an ad commutandū vo-  
tum in id, quod certò, & euidenter est præstantius,  
& maius bonum, requiratur Superioris auctori-  
tas? Duæ sunt opiniones: Prima docens, quando  
votum reddi, & seruari potest vna cū eo, in quod  
commutatur, requiri eiusmodi auctoritatem, li-  
cèt certò constet esse maius bonum id, cum quo  
votum permutatur; nisi illud sit votum Religio-  
nis perpetuum: quam sententiā videntur Cano-  
nici iuris interpretes tueri, Innocentius, inquam  
Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Imola, Anto-  
nius Butrius, Felinus in c. *Peruenit. 2. de iureiur.* quos  
citatur, & sequitur Syluester *votum. 4. quest. 7. versic. 2.*  
& idem sensit Goffredus, teste Syluestro: Eorum  
ratio hæc est, quia si quis vouerit seruiturum se in  
aliqua hospitali domo, nequit propria auctoritate  
commutare in aliud votū, quo se Deo obstrin-  
gat ad seruiendum in alia pauperiori domo, &  
laboriosiori: aut si voueat certam peregrinatio-  
nem, nequit permutari cum alia, licèt religio-  
siori, sanctiorique: aut si voueat daturum se ele-  
mosynam certis pauperibus, ei non licet permutare  
cū alia, quæ detur egenis maiori inopia pres-  
sis. Nec item qui vouit ingressum in laxiorem Re-  
ligionē, potest sua auctoritate mutare in ingres-  
sum ad arctiorem. Deindè, nemo potest in sua cau-  
sa esse iudex. Item, nemo vtitur iurisdictione in  
seipsum; at votum sine iurisdictione mutari non  
potest.

Secunda opinio negat eiusmodi auctoritatem  
requiri, quando certò, & euidenter patet maius

esse bonum, in quod votum commutatur. Sic opinantur Angelus *Votum*, 4. *quest.* 2. ad finem. Sotus libro 7. de *Iustitia* q. 4. artic. 3. Caietanus 22. q. 88. artic. 12. *et in Summa*, *Votum*. Couarruuias in cap. *Quamuis pactum*, de *Pact* in 6. part. 1. §. 3. numer. 4. Maior in quarto *distin.* 38. *quest.* 3. *vers.* Tercio arguitur. Armilla *votum*, num. 14. Navarrus in *Manuali* cap. 12. num. 75. Omnes vero conveniunt, necessariam esse Superioris potestatem, & auctoritatem quandocunque dubitatur, sit *ne* maius bonum id, in quod votum commutatur, an secus.

Caput igitur propositæ questionis est, quando certo, & evidenter constat esse maius bonum, & quod vna cum voto priori, servari, & præstari potest. Prædicti Auctores omnino inter se dissident. S. Thomas 2. 2. *quest.* 88. art. 12. Richard. in quarto. *distin.* 38. num. 8. q. 1. & Bonauent. in 4. *distin.* 38. art. 2. q. 2. generatim docent, in commutatione voti, Superioris potestatem, & auctoritatem requiri, quæ decernatur quid Deo sit acceptum, & gratum. Ad cuius rei maiorem intelligentiam annotandum est, vnum esse maius bonum, quæ alterum, dupliciter: Aut quia est maioris virtutis officium, & opus, aut quia continet alterum, & aliquid eo amplius. Exempla pono; precatio ad Deum fusa maius bonum est ieiunio, quoniam est religionis officium, ieiunium verò temperantiæ. Item elemosyna cum sit charitatis opus, præstat ieiunio. In his verò propria auctoritate non potest quisque votum commutare: quoniam vnum sit maius altero, ipsi tamen vouenti non est melius. Vouisti ieiunium, vt carnis voluptates comprimeres; non bene illud commutabis in elemosynas, aut preces. Promisisti te daturum in vsus hospitalis Collegij tunicas, dedisti mille nummos aureos; dubitari non potest, quin promissum exolueris, vouisti Deo duos tresque cereos, proculdubio si offeras vnum calicem aureum, vel argenteum, promissum omnino persolueres: & ideo quando maius bonum ita continet id, quod est minus, vt totum partem, vel vt genus speciem, vel quia illud, & aliquid amplius valet, certi iuris est posse quemque suum votum propria auctoritate commutare, & ita quia in voto, quo quis Religionem proficitur, continetur omne votum, quo quis promittit Deo obsequium ad tempus, & continetur pariter aliquid aliud; ideo omne votum commutatur in votum Religionis perpetuum: & nihil refert, contineat re ipsa vel virtute. Verbi Gratia; Promisisti Deo te daturum certæ Ecclesiæ vnum calicem aureum, dedisti duos calices aureos, votum implèsti, quia qui dat duos calices, dat reuera vnum, quem promissit, & eo plus. Promisisti verò te daturum vnum calicem argenteum, & dedisti aureum, votum exoluisti, quia dedisti aliquid, quod virtute continet primum promissum, & aliquid amplius. Promisisti te daturum duos tresque cereos, dedisti pecuniam, qua emi possunt viginti cerei: aut dedisti vnum calicem argenteum, vel aureum, votum persoluisti, quia dedisti id, quod continet virtute primum promissum, & eo plus. Quare, vt initio dixi, caput *Quæstionis* est, An simpliciter quisque possit suum votum commutare in id, quod certo, & evidenter est maius bonum: tum quia sit vouenti ad voti finem contentuæ maius bonum; tum quia Deo sit gratius?

In quo quidem probabiliorẽ iudico secundam sententiam, vt potest luri magis congruentem. Nam in cap. *Peruenit*, secundo de *Iuramentis*, ex Gregorio habemus: Non propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat. vbi nulla fit mentio Superioris: at vbi ius non distinguit, nec nos distinguere oportet. Deinde, in cap. *Scriptura*, De voto, *et* *voisre*, dempt. ex Alexandro III. refertur: Res ipsa voti a liquidatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam commutare, vbi Pontifex tanquam rationem ex ipsa rei natura sumptam eam reddit: quia longè maius bonum est perpetua Religiosi instituti obseruatio, quam temporale obsequium, & ex cap. *Sanè* de *Regularibus*, constat, votum de religione laxiori, tunc commutari in religionem arctiorem. Non est etiam dubium, id quod est maius bonum, esse Deo magis acceptum, & gratum, ergo votum in maius bonum commutatum, est Deo gratius, & magis acceptum. Postremò, in cap. *Licet*, de *Penit.* *et* *venit.* Abbas, Cardinalis, & Ancharanus docent, necessariam esse Superioris auctoritatem, vt qui promissit seruandum se ieiunium per aliquot dies in pane, & aqua, possit vt leguminibus, vel piscibus, aut alijs similibus cibis ad sustentandam naturam. At si hæc necessitas sit certa, & evidens, non est opus vlla Superioris auctoritate. Accedit his quod S. Th. loco citato, solum, ait Superioris auctoritatem in commutandis votis requiri ad decernendum, vtrum hoc, an illud sit Deo magis gratum: ergo cum certo constat magis esse Deo gratum, non requiritur Superioris auctoritas.

Sed obijciunt primæ opinionis auctores id, quod dicitur in l. 2. ff. si certum petatur, *et* *Iustit.* *quibus* *modis* tollitur obligatio. Non liberari ab obligatione debitorem soluentem creditori rem meliorem, nisi soluat, quod debet. Respondeo, non esse idem iuris de homine, quod de Deo. Non enim quo melior est res, est homini utilior, aut gratior: at Deo, quo res est melior, eo ipso est gratior, & magis accepta. Item, obijciunt id, quod habetur in cap. 1. de voto, vbi Pontifex ait, commutatio voti ab eis, qui præsidet, pendet arbitrio. Respondeo esse necessariam Superioris auctoritatem, quado dubitatur, an sit melior voti commutatio. Deinde obijciunt: Si quis professus fuerit certæ alicuius Religionis institutum, nequit ad arctiorem Religionem transire, nisi petita facultate à Superiori, *et* *Licet*, de *Regula*. Respondeo: cum quis certam esse Religionem professus, se illi iam tradidit, ac mancipauit, & ideo non potest se ad aliam conferre, præsertim cum Canones, & iura eiusmodi transitum prohibeant, ne fiat temerè, & quadam animi leuitate: & ne dani aliquid patiat ea religio, à qua transit religiosus. Tertio illud opponunt, quod habetur in cap. *Licet*, De voto, *et* *voisre* dempt. vbi decernit Pontifex, non licere alicui sine propria salutis dispendio post votum resiliire. Respondeo, à voto non recedere eum, qui illud in rem meliorem commutat. Demum, sic arguunt: Nemo est in sua causa Index. Item, Nemo iurisdictione in seipsum viuit. Respondeo, quando certo constat, & evidenter maius bonum esse, non opus est Iudicis auctoritate, aut sententia, & iurisdictione, in votis commutandis.

Secundò queritur, An sit necessaria Superioris auctoritas ad commutandum votum in id,

quod

quod est æquale bonum? Quidam iuniores è quibus videtur esse Medi. in sua Instru. Confessor. lib. 1. cap. 14. §. 7. tradiderunt, non esse necessarium, ubi certò, & manifestò confiterit esse bonum æquale: nam eo ipso, id, in quod votum commutatur, est Deo æque gratum, & acceptum. At communis est omnium iuris Pontificij Doctorum, & Summistarum opinio, hanc voti commutationem Superioris auctoritate indigere, etiam cum certò, & euidenter compertum est, votum in æquale bonum permutari. Sic opinari videntur, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Imola, Antonius Butrius, Syluester, Angelus, Conarruuias, Caietanus, & alij locis, quaestione Superiori citatis.

Tertio quaeritur, An ad commutanda vota requiratur iusta causa, & legitima? Respondeo, absolute, & simpliciter ad commutandum, iustam, & debitam causam requiri: sed ad commutandum in id, quod certò, & euidenter est melius bonum, non requiri, benè tamè ad commutandum in id, quòd est minus, aut æquale bonum. Sic Abbas, & alij iurifconsulti in cap. 1. de voto, & voti redempt. Ita Sotus inter Theologos, Syluester, & Angelus, alijque Summistæ locis ante productis. **QVAERES**, quæ sint iustæ causæ voti commutandi? S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 10. ad 2. tres in vniuersum assignat, aut enim voti materia effecta est inutilis, aut mala, aut minus bona, talis, inquam, quæ id, quod est maius bonum, impediatur. Quo fit, vt Bonaventura in quarto d. 38. art. 2. q. 2. doceat, maiorem utilitatem, vel vuentis, vel aliorum, iustam esse causam voti permutandi. Si qua item difficultas accideret in voto persoluendo: tum etiam, si probabile periculum imminet peccati, quod nonnulli solent admittere, dum votum sæpe violant. Præterea, si votum factum sit ex subita quadam animi perturbatione, aut leuitate. Hinc est, vt vota sæpe commutentur in aliud bonum, eo quòd res voto promissa reddita sit vouenti difficilior, laboriosior, periculosior. Ad extremum, vsu venit aliquando vt res aliqua facta facilis videatur, licet reuera talis non sit.

Quarto quaeritur, Penes quem sit potestas vota commutandi? Respondeo, Romanum Pontificem vniuersim posse omnia, & omnium Christianorum vbique degentium vota commutare: Episcopos verò, eorum duntaxat quibus præfunt, nec tamen omnia, sed ea tantum, quorum commutatio non est Romano Pontifici reseruata. Qui item in aliquos Pontificiam, hoc est, Episcopalem iurisdictionem habent, eorum vota computare queunt. Insuper ij, qui ex iure, vel Principis auctoritate vice funguntur eorum Superiorum, qui ad id potestatem Ordinariam habent spiritualem. Cuiusmodi sunt Vicepræpositi, Vicerectores, Viceprouinciales, & alij huiusmodi in ijs, quæ spiritualia sunt aliorum locum tenentes. Postremò, ex demandata sibi facultate possunt ij, quibus ad id Romani Pontificis beneficiù conceditur. **QVAERES**, quænam vota commutanda Romano Pontifici referuntur? Respondeo, S. Tho. loco citato, generatim docere, perpetua vota ei reseruari: quod ideo eum docuisse puto, quia magnæ causæ Romano Pontifici reseruantur, cap. Maiores, De Baptismo, & eius effect. at vota perpetua videntur esse ex numero magnarum causarum: Quæ verò perpe-

tua vota S. Thomas appeller, incertum est. Non enim verisimile fit, ipsum credidisse votum peregrinationis, vel ieiunij, vel alterius rei ad vitam faciendæ, à solo Romano Pontifice commutari posse. Quare Caietanus 2. 2. q. 88. art. 10. ait S. Thomam vocasse vota perpetua duntaxat duo, videlicet, Castitatis, & Religionis: tum quia hæc duo per se, & simpliciter sunt perpetua, cætera non item: tum quia hæc duo semel facta seruari perpetuò debent.

Mihi videtur, vota Romano Pontifici reseruata, partim iure, partim vsu, & consuetudine esse quinq; scilicet, votum Castitatis, Religionis, Vitamarinum, Peregrinationis ad sacra limina Apostolorum Petri, & Pauli, in Vrbe, & ad Sæctum Iacobum Compofellanum, vt constat ex constitutione Sixti IIII. Esti Dominici Gregis, de pœnit. & venis. inter Extraneas communes. Votum Vitamarinũ, appellatur votum peregrinationis ad Sæctum Domini sepulcrum, & alia sacra Hierosolymæ in primis, & Palestinæ loca inuisenda. Nauarr. de regulari. commen. 1. num. 21. ait prædictis quinque votis hodie additum esse sextum, videlicet votum visitandi gloriosam domum Beatissimæ Virginis Lauretanam, sed illud non probat Nauarrus vel priuilegio, vel testimonio, vel consuetudine, vel canone, aut iure. Quidam aiunt, inter priuilegia à Romanis Pontificibus in illam religiosissimam, & sanctissimam domum collata, vnum esse, vt huiusmodi voti commutatio, vel relaxatio sit Romano Pontifici reseruata. De huiusmodi priuilegio nihil certi habeo, si extat, seruandum esset, sed vsu confirmatum non est.

Quinto quaeritur, An cui confertur facultas permutandi votum, eo ipso conferatur quoque facultas relaxandi, vel absoluedi illud? Respondeo cum Paludano in 4. distin. 38. quæst. 4. art. 3. conclus. 5. minime conferri, quia sunt omnino diuersæ facultates. Nam qui votum relaxat, ex toto obligationem tollit: sed qui commutat, obligationem voti non aufert, sed in aliam materiam conuertit, quod longè minoris est facultatis. Et hæc est sententia communis.

Sexto quaeritur, An cum facultas voti commutandi committitur, & datur alicui, intelligatur concedi facultas commutandi in id, quod est minus bonum, an verò tantummodo in id, quod est æquale? Quidam iuniores, inter quos est Medina in sua Instru. Confessorum lib. 1. cap. 14. §. 7. volunt concedi facultatem commutandi in id, quod est minus: quia alioqui, inquit, parum, aut nihil utilitatis facultas asserret. Deinde, Priuilegia, cum sint beneficia Principis, amplè intelligi debent, non stricte, & præse. Nam in c. Dilecti, de Donationibus, dicitur: In beneficijs plenissima est interpretatio adhibenda. Et in l. Beneficium ff. de Constitutionibus Principum, Beneficium Imperatoris, quod à diuina scilicet eius indulgentia proficitur, plenissimè interpretari debemus. At verum omnino est, quod alij fatentur, non intelligi, demandatam esse facultatem commutandi in id, quod est minus bonum: nam voti commutatio eo ipso, quod fit in id, quod est minus, est voti ex parte relaxatio: ergo qui commutat in id, quod est minus bonum, ex parte voti vinculum soluit, cum tamen facultas commutandi, id minime significet:

quoniam permutatio rerum æqualitatem inter ea, quæ permutantur, requirit. Nec tamen rectè inferas, parum, aut nihil conferre facultatè commutandi votum, quoniam fieri potest, ut commutetur in aliquod, de quo dubitetur, sit nec ne æque bonum. Deinde, cum in æquale bonum propria auctoritate commutatio fieri nequeat, non paruum est beneficium, ut in illud possit commutari auctoritate Sacerdotis, ad sacram peccatorum confessionem audiendam delecti. Neque verò semper Priuilegia omni ex parte amplissimè interpretari debemus, præsertim cum iuri communi derogant. Nam demandata, & commissa facultas, ad id solummodo restringi, & contrahi debet, quod propriè eius verba significant, nec aliquid de iure communi derogare debet. *e. cum dilectum, de consuetudine.* Aliud enim est, cum priuilegia præter ius commune, aliud verò, cum contra ius conceduntur.

Septimò quæritur, An cui facultas conceditur voti relaxandi, concedi quoque videatur facultas illud commutandi? *Nauius in Manuali cap. 12. m. 79.* absolute negat, quia commutandi, & relaxandi vota facultates, sunt omnino inter se diuersæ, & distinctæ, ergo, cui vna conceditur, non eo ipso, conceditur altera. Ad hæc, in priuilegijs, & facultatibus demandatis, & commissis minime locum habet id, quod dicitur: Qui potest, quod maius est, potest & id quod minus est. Quidam hanc Nauarri sententiam confutant, eo quod *Sotus lib. 7. q. 4. art. 3. Syluester votum 4. q. 3. vers. Secundum. Paludanus in 4. distinct. 38. q. 4. art. 3. conclus. 5.* & alij passim doceat, eum qui potest vota relaxare, posse commutare. Caterum tria mihi probabilius dici posse videntur. Primum est, id quod dicitur. Qui potest vota relaxare, posse & commutare, & è contrario: quam Regulam proponunt Syluester, & Sotus *locis citatis*; locum habere, tantummodo in his, qui iuris auctoritate relaxandi, & commutandi potestatem habent, quales sunt Episcopi, & qui iure, vel consuetudine, vel præscriptione Episcopalem habent iurisdictionem, non autem in ijs, qui commissa, & demandata sibi commutandi potestate funguntur. Nam ut proximè dixi, in quibus potestas commutandi vota demandatur, non intelligitur concessa potestas relaxandi ea. Alterum est: cui committitur potestas relaxandi votum, ei quoque committitur potestas quodammodo commutandi: quoniam ea Regula iuris: *Qui potest quod maius est, potest quoque id, quod minus est*, locum habet, quando quod minus est, in alio continetur, tanquam pars in toto, aut species in genere: sed commutatio voti, qua commutatur in id, quod minus bonum est, in relaxatione continetur tanquam pars in toto: qui enim potest ex toto relaxare, potest ex parte, nimirum commutando in id, quod minus est. Sed qui tantummodo commutat, dissoluit ex parte, non ex toto, cum votum ex vna materia in aliam commutat. Ergo, cui demandatur potestas in totum relaxandi votum, conceditur quoque facultas illud idem commutandi, hoc est, in id, quod minus est bonum, transferendi voti obligationem. Tertium est: *Mihi simpliciter placet Nauarri sententia.* Primò, quia facultates commutandi votum, & relaxandi sunt diuersæ facultates, ergo cui conceditur vna man-

dato alterius, non eo ipso conceditur altera. Secundò, quia commutandi facultas suapte natura intelligitur data ad commutandum in id, quod est æquale bonum. Relaxandi verò facultas est ad votum tollendum, vel ex toto, vel ex parte: certè ad commutandum bonum in id quod est æquale bonum, maior scientia, & cognitio rerum requiritur; quàm ad tollendum simpliciter, vel ad commutandum in id, quod est minus bonum. Ergo non eo ipso, quo tibi datur facultas relaxandi votum, datur facultas commutandi. Et hoc est, quod sensit, & dixit Nauarrus, *at ij qui ratione sui muneris habet, ut vota relaxare, & commutare queat, veramq; facultatem habent iure suo, & æque possunt vtrumque, non vnum per aliud.*

Octauò quæritur, An votum, quo quis vouit suscipiatur se arctius Religionis institutum, possit Episcopi auctoritate in id, quod est laxius, commutari? Quæstionem mouet, quia voti Religionis absolutio, & commutatio est Romano Pontifici referuata, ergo illa fieri ab Episcopo nequit: præsertim cum vsu videatur esse receptum, ut huiusmodi vota non nisi Romani Pontificis beneficio commutentur. Ex altera parte videtur esse quorundam sententia, eiusmodi votum posse ab Episcopo commutari: quod ea ratione conficiunt, quoniam non est votum absolute, & simpliciter Religionis, sed certæ Religionis, nempe arctioris; nec fit commutatio, nisi in alterius, licet minus arctæ Religionis institutum. Videtur itaque illis dicendum: Si quis arctiorem, duriolemque Religionem fuerit professus, non posse tuta conscientia, ad laxiorem Religionem descendere absque Romani Pontificis auctoritate, quia per solemnem professionem Religio ius acquisiuit in Monachum: quod ius Religioni Episcopus adimere, & auferre non potest; est enim res magni momenti, & proinde ad Romanum Pontificem pertinet, ad quem causæ magnæ, & arduæ referuntur. Si verò quis simplex, solummodo asperioris arctiorisque Religionis votum fecerit, hoc est, si vouerit se ingressurum in arctiorem Religionem, videtur, in quantum, illud iure ab Episcopo commutari posse in id, quod est mitius Religionis institutum, eo quod, ut diximus, non mutat votum simpliciter Religionis, nec mutat in aliud, præterquam in Religionem: & quia cū in huiusmodi voto promissio tantummodo futuri in Religionem ingressu continetur, Religio nondum in Monachum promittentem ius acquisiuit. Sic Palud. *in 4. distinct. 38. quest. 4. art. 3. conclus. 5. ad finem*, quam sequitur Antonius *part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 9.* Vnde Syluest. *Votum 4. q. 3. vers. Sextum.* secundum Archiepiscopum Antonium quem citat, sensit eiusmodi votum posse Episcopi auctoritate commutari, quia non est votum simpliciter Religionis. Sed est *anima* quærtendum, Paludanus ita dicere: Si existens in Religione laxiori, voueat Religionem arctiorem se suscipiturum: aut existens in arctiori, velit ad laxiorem transire, posse Episcopum ad vtrumq; facultatem concedere. Hoc quod dicit Paludanus, locum non habet in Religioso professo, qui est per solemne votum Religioni traditus, in quem Religio ius acquisiuit. Item, locum non habet in Religioso, qui est ab Episcopi potestate, & iurisdic-

etione exemptus. Solum locum habet in Religiosis, qui non sint exempti ab Episcopis, quales olim Monachi erant iure communi, & quales sunt multae Sanctimonialia locorum Ordinarijs subiecta. Item, locum habet in laicis sine Clericis nulli Religioni adstrictis, siue Episcopo subiectis.

Nono quæritur, An quando facultas conceditur ad commutanda vota vi Iubilei, vel Pontificiæ Indulgentiæ, vel Diplomatis, quæ Bulla appellatur, intelligatur concessa tantummodo facultas ea vota commutandi, quæ quis fecerat ante Iubileum, vel indulgentiam Pontificiam, An verò etiam protendatur ad ea Vota, quæ quis fecit post Iubileum, vel Pontificium Diploma? Dux sunt opiniones, primam tuetur Sotus lib. 7. de iust. quæst. 4. artic. 3. facultatem solummodo locum habere in votis antea factis. Secundam defendit Nauarr. in Manual. cap. 12. num. 50. contra Sotum, dicens eam facultatem ad omnia vota se fundere, & extendere, tum priora, tum posteriora, idem quoque docet Corduben. de indulgen. quæst. 37. propos. 2. Cui sententiæ libenter subscribo, hac ratione permotus: quoniam quemadmodum datur facultas Pontificia ad absolendum à peccatis, censuris, & pœnis referuatis, sic etiam dari solet ad commutanda vota: sed facultas data ad soluenda peccata, censuras, & pœnas simpliciter, nisi aliud exprimitur, protenditur, & trahitur in vniuersum ad peccata, censuras, & pœnas tam ante, quam post Iubileum contractas. Nam ubi Pontifex neque distinguit, neque restringit facultatem, nec nos distinguere, aut restringere debemus. Sic etiam in vniuersum conceditur facultas commutandi vota, ergo ea cõtrahi, & restringi non potest ad vota tantummodo ante Iubileum facta. QVÆRES, quando vi, & ratione alicuius Pontificij priuilegij, Diplomatis, datur facultas commutandi vota in certam aliquam elemosynam, an iure votum in aliam elemosynam, aut aliud pietatis officium, & opus arbitrio Confessarij commutetur? Respondeo, minime, quia Confessarius demandat sibi facultatis terminos transilire non potest: Nauarr. in Manual. cap. 12. num. 50. Quid si pauper est is, qui votum fecit, & nihil dare queat? Respondeo, dare oportere elemosynam licet exiguam, & tenuem, & hominis, cuius votum commutatur, paupertati parem.

Decimo quæritur, An ei, cuius votum est legitime commutatum, si ratam habuerit commutationem, liberum sit, prestare, & exoluere id, quod prius vouerat; an verò cõmutatione retenta, debeat id facere, in quod est votum commutatum? Quidam negant id esse liberum ei, qui vouerat, quia cõmutati voti obligatio est iam penitus extincta, & in aliam materiam mutata, & proinde ea sola obligatio in ea materia persistit, in quam mutatum est votum. Contrarium alijs probabilius videtur: quia cum voti commutatio facta sit in æquale bonum, potest qui vouerat, ad illud, quod ante promiserat, tuta cõscientia redire. Deinde, quia votum cõmutatur, & id cedit in priuilegium, fauorem, & commodum eius, qui votum fecerat: sed is, cui priuilegiũ datur, potest eo uti, & nõ uti, si velit: alioquin esset oneri priuilegiũ. Adhæc, commutatio voti fieri videtur tacita con-

ditione, vt reddatur id, in quod votum mutatur, si id ei, cuius votum permutatur, placuerit, sin minus, quod promissum est, suo tempore præster, ac soluat. Tota enim commutatio sit gratia eius, qui vouerat, vt ipsius commodo consulatur. Hæc sententia mihi magis probatur.

Vndecimo quæritur, An si votum Castitatis Romani Pontificis beneficio commutetur in aliud possit deinde Episcopus illud, in quod est commutatum, relaxare, siue in aliud mutare, quando nõ est commutatum in materiam voti Romano Pontifici referuati. Exemplum propono: Titius Castitatem vouerat, id voti Romanus Pontifex in certa ieiunia, vel preces, vel elemosynas commutauit, dummodo ipse Titius cœlibem vitam agat, & deinde causa subest, vt ieiunia, elemosyna, vel preces in aliud commutentur: Quæritur, an Episcopus, aut Confessarius vi Iubilei ea commutare queat? Negant nonnulli ea commutare, aut relaxare posse, quoniam licet materia, in quam est votum à Romano Pontifice commutatum, referuata non sit per se, est tamen ex accidenti ratione primi voti commutati. Nam primum votum per se quidem non durat: sed perseverat tamen quasi virtute in ea materia, in quam illud Romanus Pontifex commutauit. Rursus eo ipso, quod est votum auctoritate Romani Pontificis mutatum, est onus iussu eius susceptum: at nemo potest Superioris legem, præceptũ, pœnam, sententiã uel commutare ex toto, vel ex parte. Laminor Magistratus. ff. de arbit. Alij verò arbitrantur posse Episcopum, aut Cõfessarium vi Iubilei delectum, & approbatum, commutare: quoniam votum Castitatis in aliam materiam, quæ non est Pontifici referuata, commutatum, sublatum omnino est, quemadmodum peccatum, quod affectum est excommunicatione Romano Pontifici referuata, definit esse referuatum excommunicatione remota: ita etiam votum Castitatis, si in aliam materiam à Romano Pontifice permutetur, non amplius referuatur; eo quod referuatio est ratione materiæ; ea igitur ablata referuatio cessat, ac tollitur. Cæterum prima sententia videtur quibusdam magis cum iure ipso, & ratione congruere propter Regulam, qua Doctores vtriusque iuris vruntur: Actio, & res in alterius locum subrogata vim, & naturam eius sortitur, ac sapit, in cuius locum suscepta est; at id, in quod Romanus Pontifex, votum Castitatis commutat, substituit in locum ipsius voti: ergo sicut votum est referuatum, ita etiam id, quod eius loco supponitur. Cæterum Romanus, singul. 460. cum quæsisset, an si Papa imponat pœnitentiam alicui commutando votum, possit Episcopus illam pœnitentiam commutare, respondet posse: & probat, quia id docet aperte Glossa in cap. tempora pœnitentiis, 26. quæstion. 7. & ipsa Glossa probat suam sententiam ex eo, quod habetur in cap. Latorem, 33. quæstion. 2. Hanc Romani, & Glossæ opinionem sequitur Syluester. in verbo votum. 4. quæstion. 7. ad finem. Sed hæc mihi sententiã dubia videtur. Et Cordubensis in Summa. quæst. 150. quærit, an vota antea commutata auctoritate eius, qui potuit commutare, possint per Confessarium vi Iubilei delectũ rursus commutari, & respondet, posse, quia datur ei generatim facultas, qua possit vota omnia ex

ceptis votis religionis, & castitatis commutare. Sciendum itaque est, non esse idem commutare votum, quod est commutare pœnam impositam, eo quod votum per solutum non fit. V. G. Romanus Pontifex, facultatem Confessario dedit, ut commutet votum, quod Titius fecerat de danda certa eleemosyna quotidie pauperibus, & similiter, quia Titius multis diebus certâ illam eleemosynam nō dederat, ut promiserat, & ideo magnam pecuniæ quantitatem pauperibus ex voto debebat, remisit ex parte, videlicet, ut det minorem, quam debebat, Confessarius potest votum, quod adhuc in futurum refertur, commutare, nō tamen potest eam pecuniæ partem, quam iussu Pontificis solvere cogitur, ex toto, vel ex parte remittere. *Nauar. conf. 35. de voto.*

**Duodecimò** queritur, Quidnam facere debet is, cuius votum est sapius commutatum? Respondeo primò, durare semper p̄ imi voti vinculum, si nulla eius commutatio iusta fuit. **Item** tenenda est primâ commutatio, si iusta fuit, quæ per sequentes, cum iustæ non fuerint, extincta non est. **Postremò**, si omnes fuerint iustæ, fas est ei, qui vouerat, seruare postremam, siquidem iusta illa etiam fuit: Liberum etiam est ei suum primum votum exsoluere, si velit, vel primam, aut secundam voti cōmutationem, eligere, reliquis posthabitis.

**Decimotertid** queritur, Quid nomine maioris, vel æqualis boni intelligatur, in quod votum de more commutatur? Respondeo, non intelligi omne id, quod est Deo gratius, & magis acceptū per se, hoc est, ex natura operis, quod fit, sed id, quod ei, qui vouit, est melius, commodius, & aptius ad Dei gratiam, & charitatem assequendam, & ad votum quod fecit, implendum. Vnde in cōmutandis votis consideranda, & perpendenda est eius, qui voto se Deo obligauit, utilitas potius, quam materiæ magnitudo. V. G. vouit Titius, ad domandam sensus, & carnis libidinem ieiunia, quæ sunt opera, & officia Temperantiæ; preces quidem, quæ ad Deum fundi solent, & eleemosynæ in pauperum v̄sus dari solitæ, quæ sunt Religionis, & misericordiæ actus, maioris virtutis sunt opera, non tamen ob id, cuiusmodi votum in preces, vel eleemosynas commodè mutatur: quandoquidem ad libidinem refranandam, & cohibendam non sunt æquè vtilis, ac ieiunia, & aliæ piæ, & religiosæ corporis castigationes. Pari ratione vouet quis, eleemosynas ad auaritiâ comprimendam: dubium non est, quin sint alia opera per se natura sua meliora, sed fortassis ei, qui vouit, minus apta, & opportuna remedia ad eum finem assequendum. Est igitur consideranda eius, qui vouit, cōditio: id enim quod erit illi melius, erit pariter Deo gratius. Quo fit, ut in votis commutandis expendi debeat difficultas, & labor, qui perferri deberet in promisso præstando: Considerandæ item sunt impensæ, & sumptus, quos facturus erat, qui vouerat: An etiam illa materia magis eius interfit, ita, ut sit ei vtilior, & commodior futura. Exempli causa, Titi⁹ ad loca sancta peregrinationem piæ, & religiosè vouit, videtur enim est, an pedibus esset iter facturus: nam tunc iter vnus diei (quod atinet ad laborem peregrinationis) cum vnus diei ieiunio commodè com-

mutatur: & iter duorum dierū, cum ieiunio duorum dierum, & sic deinceps. Quod si non erat pedibus peregrinaturus, tunc iter quatuor, vel quinque dierum iure in vnus diei ieiunium commutatur, & impensæ in eleemosynas, & v̄sus pauperum. In commutandis denique votis, oportet seruari æqualitatem, quod tamen non oportet scrupulosè accipere, sed sufficit arbitrium boni viri, cessante fraude, & lata culpa remota. Sic ait Sylu. *votum 4. q. 8. ad finem.*

**Decimoquartò** queritur, An votum, quo quis vouit daturum se eleemosynam in certos pios v̄sus, videlicet, ad sustentandos Collegij, hospitaliū domus pauperes, possit auctoritate Episcopi commutari? Hanc quæstionem c. proximi sequenti commodius diluemus.

**Decimoquintò** queritur, An omnia vota, quæ quis ante vitam Monasticam emiserat, iure ipso in ingressum ad Religionem commutentur, ita ut omnino finiatur, & desinant, quum primum quis, ut Nouitius in Religionem admittitur, & incipit, ut Tyro in Religione militare: an verò potius per solemnem expressam, vel tacitam Religionis professionem extinguatur, & cessent? Hanc etiam quæstionem tractat Syluester *votum 4. q. 7. versical. Tertium, secundum Archiepiscopum: & ego eam tractaui ex parte supra hoc libro. cap. 17. quest. 20. & 21. & iterum tractabo cap. sequenti.*

**Decimosexto** queritur, An is, cui conceditur facultas commutandi vota, possit iure vota commutare, etiâ si fuerint iure iurando firmata? Hanc quæstionem supra tractaui *hoc libro cap. 10. q. 2. vbi dixi, probabilius esse, non posse, quia votum, & iusiurandum sunt vincula omnino diuersa, ergo non eo ipso, quod quis potest ex facultate sibi commissâ, & demandata, vnum soluere, potest, & alterum. Quidam putant Sotum lib. 8. de iust. q. 1. art. 9. ad finem, & Caiet. 2. 2. q. 89. art. 9. oppositum docuisse: sed reuera nihil huius quæstionis meminerūt, solum illis locis dixerunt, votum esse arctius vinculi, quam iusiurandum: & eum, qui potest voti vinculum soluere, posse queque soluere iusiurandi vinculum. Sed loquuntur de eo, qui potest ordinaria auctoritate voti vinculum soluere, cuiusmodi est Episcopus: non de eo, qui a voti nexu, & Religione aliquem soluit priuilegio, seu facultate commissâ: ut dixi supra cap. 10. q. 2.*

**Decimoseptimò** queritur, An is, cui demandatur, facultas commutandi votum, possit per alterum votum commutare? De hac quæstione capite sequenti tractabo.

**Decimoctauò** queritur, An cui committitur potestas commutandi votum alicuius, possit commutare pœnas ex voto violato contractas? Hanc etiam quæstionem capite sequenti dissoluam.

## Caput XIX.

### De Votorum Absolutione.

**A** Nimaduertendum est, in hoc capite Absolutionem voti non intelligi eam, qua quis absoluitur à peccato, quo votum violauit, sed eam, qua quis voti Religionis nexu, & vinculo soluitur, quæ a Canonici iuris consultis, Theologis, & Summis voti dispensatio dicitur. Nā sicut cū

quis

quis Principis beneficio à lege soluitur, & ab ea eximitur, dicitur dispensatus in lege, hoc est, solutus à lege, sic etiam cum vinculo, & obligatione voti soluitur, dicitur dispensatus in voto, hoc est, liberatus à voto.

**Primo** queritur, An penes Romanum Pontificem, sit potestas aliquos absoluedi à voti vinculo? Ratio quæstionis est ex vna quidem parte, quòd votum reddere quisque naturali, & diuino iure compellitur: at in hæc iura Romanus Pontifex potestatem non habet: Ex altera verò parte est frequens, & quotidianus Ecclesiæ vsus, quo multi à votis Romani Pontificis auctoritate soluantur. Sed nos hanc quæstionem libro sexto discussuimus cap. 1. q. 4.

**Secundo** queritur, Quinam auctoritatem habeant alios voto soluendi? Respondeo, in primis Romanum Pontificem, deinde Episcopos, ac cæteros Ecclesiarum Antistes, qui Episcopalem auctoritatem habent, & potestatem: & eos, qui Romani Pontificis concessu, & priuilegio comparatam, aut impetratam facultatem habent. Romanus igitur Pontifex potest, cum omni voto soluere, tum etiam quoslibet Christianos vbi que terrarum degentes: Episcopi verò minimè, nisi eos tantum quibus præsent. Neque eorum omnia vota relaxare, ac soluere queunt, sed ea duntaxat, quorum absolutio non est Romano Pontifici iure, vel consuetudine reseruata. Cæteri, qui sunt Episcopo inferiores, iure cõmuni huiusmodi potestatem nõ habent, nisi Romani Pontificis priuilegio, aut Consuetudine approbata. Syluest. *vol. 4. q. 3.*

**Tercio** queritur, Quæ, & quot sint vota, quorũ absolutio Romani est Pontificis propria? Respondeo, iure antiquo communi, expressim vnus tantum modo voti absolutioem Romano Pontifici reseruari: quod votum in iure Canonico Ultramarinum vocatur, cum quis videlicet vouet iter se facturum Hierosolymam, ad sanctum Domini sepulchrum. At verò quia iure communi ad Romanum Pontificem causæ magnæ, & arduæ pertinent, ideo eodem iure vota Castitatis, & Religionis, cum sint per se res perpetuæ & magnæ, ita Romano Pontifici reseruantur, vt nemo possit eorum vincula soluere. Quocirca eorum trium votorum absolutio, iure antiquo communi, solius est Romani Pontificis. Votum verò peregrinationis ad sanctum Iacobum Compostellanum, & ad limina Apostolorum Petri, & Pauli in Vrbe, testatur Abbas *in ca. ex multa de voto, & vot. redempti.* non esse Romano Pontifici reseruatum; & proinde Episcopũ eo voto posse aliquos soluere. Quæ Abbatis sententia vera est, si secundum ius Canonicum antiquum loquamur; at verò vsu, & more introductum est quod Angel. *vol. 4. q. 6. Syluest. vol. 4. q. 3. dicto. 5. Tabien. dissensatio. q. 9. Sol. libr. 7. de iust. q. 4. artic. in conclus. 1. tradiderunt, vt horum votorum absolutio ad solum Romanum Pontificem spectet: qui mos quoque confirmatur in Constitutione Sixti III. quæ incipit: Etsi Dominici, De punit. & remiss. inter Extrauaganes communes, vbi quinque supradicta vota memorantur, vt Romano Pontifici reseruata: iure igitur nouo Extrauagantium constitutionum quibus non antiquo, reseruatur. Porro Nauarr. in Comment. 1. de Regular. nu-*

mer. 21. ait, votum peregrinationis ad eadem sanctæ Mariæ Lauretanam esse Romano Pontifici reseruatum: Sic enim ibi inquit, *Omibus votis potest Episcopus soluere, exceptis quinque contentis in Extrauaganti. Etsi Dominici 2. de punit. & remiss. inter communes: quibus hodie votum adiungitur visitandi domũ gloriosam gloriosissime Virginis Mariæ Lauretanæ. Sic ille; & nõ probat. Fortassis extat in domo illa sanctissima priuilegium aliquod, siue Diploma Pontificium, de hac re, sed vsu receptum non est.*

**Quarto** queritur, An Episcopus habeat ius soluendi aliquos voto Ultramarino, quod fecerunt studio, & amore pietatis augere, non autem gratia auxiliij siue subsidij pijs, & religiosis terræ Sanctæ habitatoribus conferendi? Abbas, cui Angelus, & alij adhasere, censuit, huius voti absolutioem non in vniversum ad Romanum Pontificem pertinere. Docet enim, huiusmodi votum posse fieri dupliciter: Aut enim quis vouet peregrinationem ad sanctum Domini sepulchrum, vt aliquo vitæ subsidio iuuet Christianos in Terra sancta degentes, aut vouet solum suæ pietatis promouendæ gratia. Si primum, eius absolutio Romano Pontifici reseruatur; si verò secundo modo, minimè. Et proinde si Episcopus, inquit, à voto sic factò aliquè soluat, rata & firma est absolutio. *At contra Syluest. votum 4. quæst. 3. dict. 5. ait, absolutioem irritam esse, & inanem. Sed nihil est, quod Abbatis sententia nobis in hac quæstione displiceat: is enim secundum ius antiquum, & commune loquebatur, quod ius votum Ultramarinum primo modo factum Romano Pontifici reseruabat. Nam olim, cum Francorum bello Palestina esset Saracenis erepta, & Hierosolymis Christiani reges dominarentur; ex toto prope modum Christiani imperij, & ditionis orbe pijs viri peregrinationem ad sanctum Domini sepulchrum suscipiebant. Deinde verò, Saracenorum potentia, & armis res Christiana per Orientem labefactari cœpit: quo factũ est, vt permulti votum Ultramarinum emitterent studio iuandũ Christianos Hierosolymis, & per totam vndique Palestinam commorantes: quod votum, ius Canonicum appellat Ultramarinum in subsidium Christianorum in terra Sancta habitantium. Et quia erat votum magni momenti, quodque viri primarij, Deo nuncupabant, ius ipsũ Romano Pontifici reseruauit, ne si ab Episcopis relaxaretur, multi passim eo voto soluerentur, non sine magno detrimento, & incommodo Christianorum in Palestina degentium. Merito igitur scripsit Abbas, iure communi votum Ultramarinũ, quod sit in terræ Sanctæ habitatorum subsidium, Romano Pontifici reseruari. Nihilominus tamè more, & consuetudine receptum est, vt in vniversum voti Ultramarini quomodolibet facti absolutio ad Romanum Pontificem tantummodo spectet: & hoc est, quod voluit Syluester loco citato.*

**Quinto** queritur, An votum non contrahendi coniugium, siue abstinendi perpetuò à nuptijs sit idem, quod votum Castitatis: ita vt quemadmodum solus Romanus Pontifex potest aliquem voto Castitatis soluere, sic etiã nemo præter ipsũ possit absoluedi à voti vinculo nunquam ad nuptias transeundi, sed cœlibem vitam agendi. Duæ

sunt



sunt opiniones, prima, quæ Caietano placet in *Opuscul. 10. 2. tract. 11. q. 1.* afferit huius voti absolutio- nem folius esse Romani Pontificis: idque hac ra- tione concludit, quia præcipuum, quod in voto Castitatis continetur, est Castitas, quæ in consiliū Euangelicum cadit: sed ea talis est, qua quis vult in perpetuum à nuptijs abstinere: nam reliquum, quod ad Castitatem pertinet, in præcepto natu- rali, & diuino positum est, ne quis rem habeat cū foemina sibi non nupta. *Secunda opinio* negat hoc votum esse Romano Pontifici reseruatū: ratio eius est, quia non est votum simpliciter Cas- titatis. Nam si quis post id voti, rem cum foemi- na habeat, contra votum non peccat, quoniam votum solum est, de matrimonio nunquam in- eundo, ac proinde Episcopi auctoritate, iure eius- modi voti vinculum relaxatur. Ita sentiunt *Sot. 4. d. 38. questio. 2. artic. 1. in conclus. 1. ad finem.* Antonin. quem citat *Sylu. votum. 4. questio. 4. ad finem.* Angel. *votum. 4. questio. 9. Rosel. impedimentum. 4. nu. 12.* Sylu. *votum. 4. questio. 4. ad finem.* Nauar. in *Manual. capit. 12. numer. 76.* vbi dicit, se prius sententiam Caietani sequutum fuisse, sed postea ab ea recessisse: atque hæc opinio mihi verior apparet propter eius ra- tionem prædictam: & quia teste Nauarro *loco ci- tato*, eam sequitur sacrum Penitentię prætorium in Vrbe.

*Secundo queritur*, An votum seruandi castimo- niam ad tempus, vtpotè ad quadriennium, aut de- cennium, sit Romano Pontifici reseruatū? *Re- spondeo*, non esse reseruatū: quia nō est votum seruandi perpetuam castimoniam. Sic Angelus *votum. 4. questio. 9.* Syluest. *votum. 4. questio. 3. dicto. 6.* vbi citat Paludanum, & Antoninum. Nauar. in *Manua. cap. 12. num. 78.* *Sot. lib. 7. de inst. questio. 4. art. 3. quamuis in 4. d. 38. questio. 2. art. 1. dicat* fortè potest Episcopus. Idem iuris est in voto certæ castitatis; vt si quis voueat nunquam adulterium, aut certum immu- ditia, vel libidinis genus se commissurum. Idem quoque ius est in altero coniugum vouente, non petiturum se debitum coniugale: hæc enim vo- ta non sunt totius, & integræ Castitatis, sed par- tis; ac propterea eorum relaxatio, vel com- mutatio nequaquam est Romano Pontifici re- seruata.

*Septimo queritur*, An qui simplici voto Casti- tatis adstrictus matrimonium tantummodo ra- tum contraxit, ei possit Episcopus facultatē con- cedere, vt consummet matrimonium, si probabi- le incontinentiæ periculum imminet? *Sotus in 4. d. 38. q. 2. artic. 1. in dubitationibus circa conclus. 1. & post conclus. 2.* putat post huiusmodi votum iure posse matrimonium consummari, & perfici: de cuius sententia inferius disputabo: quare secundū eam opinionem nulla est opus voti relaxatione. Sed mihi videtur relaxatio necessaria, quoniam post simplex Castitatis votum, nō solum peccat quis, cum matrimonium contrahit, sed etiam quando consummat, ac perficit: quia qui matrimonium iniuit, antequam illud consummet, & compleat, potest Castitatis votum seruare, si Religionis in- stitutum suscipiat, ac profiteatur: ergo si potest, debet, quod si debet, nec fecit, contra votū delin- quit, vt postea dicam.

*Octauo queritur*, An iure Episcopus facultatē concedat, vt qui simplici castitatis voto obliga-

tus matrimoniū contraxit, & consummauit, pos- sit in posterum debitum petere. Quidam negant licere Episcopo id facere, quia est votum Casti- tatis, à quo neminem Episcopus soluit, & eximit. Sed verius alij affirmant, id posse Episcopū con- cedere, non quidem semper, nec in perpetuum, sed aliquando, & ad certum tempus: videlicet, quando ad Romanum Pontificem, non facilis pa- ter aditus, & ob moram impendet incontinentiæ periculum, cum sit iuuenis is, qui vouerit. *Sylu. votum. 4. q. 4. vbi citat Cardin. Anton. Abbatem in ca. veniens, qui cler. vel vouent.* Neq; verò Episcopus tunc eum in totum à voti vinculo liberat, quoniā si coniux, qui Votū emiserat castitatis, alteri con- iugi superstes vixerit, castimoniam seruare debe- bit: quippe matrimonio soluto, votum antea fa- ctum omnino durat.

*Nono queritur*, An votum sacros ordines per- cipiendi tale sit, vt à solo Romano Pontifice pos- sit absolui, aut commutari? *Respondeo*, minimè, quia non est ex quinque illis Romano Pontifici reseruatīs, Nauar. *confil. 32. ad questio. 2. de vot. redempt.* *Obijcies*, in hoc voto simul etiam Castitatē promitti, qualem vouent, qui ad sacros ordines pro- mouentur. *Respondeo*, in eiusmodi voto Casti- tatem promitti futuram, non præsentem, cum sit votum sacros ordines: suscipiendi; & proinde præsens Castitas non promittitur. Vnde qui est tali voto adstrictus, si cum foemina rem habeat, antequam ad Sacros Ordines ascendat cōtra vo- tum non peccat, siquidem castimoniam non vouit: & idcirco hoc votum iure Episcopi auctori- tate cōmutari, relaxari, siue solui potest. *QVAE- RES*, quoniam causa subesse queant iustæ, & legiti- mæ, eiusmodi votum Episcopi auctoritate in aliud mutetur? *Respondeo*, si is qui vouit, be- neficium Ecclesiasticum, aut pensionem, aut pa- trimonium non habeat, vnde honestè, & com- modè viuat, meritò Episcopus votum illud com- mutat. *Item*, si Episcopus eum ad sacros Ordines reculauerit promouere, Confessarius habens demandatam siue commissam facultatem com- mutandi vota, illud iure commutat. *Item*, si ali- quod ex prædictis impedimentis perpetuum iudicetur, eo ipso is, qui promiserat voti vinculo solutus est, cum nequeat amplius, suum votum exsoluere.

*Decimo queritur*, Quid sit dicendum, quum Ti- tius sub disiunctione votum fecit seruandi casti- tatem, vel Religionis institutum profitendi, vel Sacros ordines capeffendi, An huiusmodi votum sit ex quinque illis, quorum commutatio, vel re- laxatio ad Romanum Pontificem spectat? *Respo- deo*: cum sit votum sub disiunctione factum, Ro- mano Pontifici reseruatū non esse: eo quod tri- bus partibus constat, quarum vna minimè reser- uatur. Si tamen Titius nullo modo velit amplius sacris ordinibus initiari, voti religione obliga- tur ad Castitatem seruandam, vel Religionem ca- peffendam. Et cum vtraque pars Romano Ponti- fici reseruetur, Episcopi auctoritate à voti nexu liberari non poterit. Quando cumq; verò in ani- mo habet castitatem seruare, vel ad Religionis institutum transire, vel ad Sacros Ordines ascen- dere, tuta conscientia votum Episcopi auctori- tate commutatur, vel relaxatur.

Vndeci-

Vndecimò queritur, An votum perpetuæ continentiæ iure possit Episcopus relaxare, soluere, vel commutare. Speculator, & Ioannes Andreas, vt citat Syluest. *votum. 4. q. 4.* sentierunt, posse, quod probant: quia vt constat ex *cap. Veniens, qui cleri. vel votum.* Episcopus soluit quandam foeminâ à vinculo voti, quæ promiserat Deo perpetuam castitatem. Sed verius est, quod sentiunt in eo capite veniens, Cardin. Antonius, Abbas, id Episcopum iure non posse, quia est Romano Pontifici referuata huiusmodi voti relaxatio, siue commutatio: foeminam verò, de qua agitur in *cap. Veniens, citato,* Episcopus soluit à voto continentia, vel facultate sibi à Romano Pontifice demandata, vel quia foemina iuuenis erat, & proinde erat in periculo, ne contra votum faceret. Sic etiam Syluest. *votum 4. q. 4.* vbi citat Angelum, & Rosellam, & alios.

Duodecimò queritur, An votu dandi elemosynam certæ personæ indigenti, vel in pios vsus certæ Ecclesiæ, hospitalisve domus, possit Episcopi auctoritate commutari, relaxari? Dux sunt opiniones: prima omnino negat, idque colligit hæc ratio: Is enim, cui factum est votum, acquirit ius in rem sibi voto promissam; non quidem quod rei dominium adeptus fuerit, sed quia ius habeat petendi, vt qui vouit, votum persoluat, vt constat ex *cap. ex parte de censib. Deinde,* quia in causis pijs lege Canonica ius acquiritur absentis, ita vt actionem contra vouentem habeat, qua possit agere, & petere, vt votum reddat, ac præstet, vt colligitur ex *l. illud. c. de Sacrosanct. Eccles. Sic opinatur teste Syluest. votum. 4. q. 7. dicto. 4.* Archidiaconus Raimundus, Directus Rosellus, & alij. Secunda sententia affirmat, id posse relaxari, vel commutari Episcopi auctoritate. Ita Caiet. in *opuscul. tom. 2. tract. 11. q. 3.* Angel. *votum. 4. q. 25. & 26.* Syluest. *loco citato. Naua. in Man. cap. 12. nu. 78.* & hæc sententia est verior, & firmiter, ac potiori ratione suffulta.

Annotandum est, non idem iuris esse in voto, quod est in promissione, quæ fit homini: nam ex simplici promissione, si rata, & accepta habeatur ab eo, cui fit, actio nascitur, ac surgit saltem iure Canonico, vt alibi dicam. Item, si huiusmodi promissio fiat absentis, sitque pia, actionem parit, ita vt is, cui est facta promissio, ius habeat petendi, vt quis promissa præstet. Vnde in hoc locum habet prima opinio. Si enim Titius certæ Ecclesiæ, aut pauperi elemosynam promissit, nequit ea promissio Episcopi auctoritate commutari: secus tamen, si Titius non Ecclesiæ, aut egenti homini promissit, sed votum Deo fecerit elemosynam certæ Ecclesiæ, vel pauperi porrigendi; votum enim factum est Deo, & non homini: & hoc est, quod secunda opinio contendit, posse huiusmodi votum Episcopi auctoritate commutari, vel relaxari.

Decimotertio queritur, An vota, quæ dicuntur pœnalia, quæq; sunt de re aliqua, & materia Romano Pontifici referuata, eidem referuata quoque iudicentur? Exempli causa, Titius votum facit, cõtinebo me à certo peccati genere, alioqui, nisi id fecero, castitatem seruabo, vel ad Religionis institutum me conferam. Dubitatur, an si id peccati non cauerit, ita ad Castitatem seruandam, vel ad Religionem capeffendam compellatur, vt ea voti obligatio commutari ab Episcopo, rela-

xariuè nequeat? Tres inuenio opiniones: prima docet ante conditionem impletam, ea vota commutari, relaxariuè Episcopi auctoritate posse, ea verò impleta, non posse, quia post impletam conditionem vota in absoluta transferunt: & cū sint Castitatis, vel Religionis, eo ipso, Romano Pontifici referuantur. Ita Sotus *lib. 7. de iust. q. 2. art. 1. ad 4. & q. 4. art. 3.* Secunda opinio generaliter docet, talia vota, siue ante, siue post conditionem impletam in Episcopi auctoritatem, & facultatem cadere. Ita Couarruias in *cap. quamuis pactum. de pact. in 6. p. 1. §. 3. nu. 12.* hanc sententiam sequuntur multi iuniores Theologi. Medina in *sua instruct. Confess. lib. 1. cap. 14. §. 6.* Philari. *lib. 3. de officio Sacerdot. cap. 22.* Ludouicus Lopez. in *instru. ca. 44.* Aragon. *2. 2. q. 88. art. 12.* Palacius *super summam. Cai. verbo. votum. vers. 6.* Autor Candelabri *tract. 14. in additionib. de voto nu. 50.* vbi dicit, Salmaticæ multos Theologos de hac re interrogatos, ita sensisse. Aiunt etiã alij, sic Victoriam docuisse, & Canis. Sic etiam videtur sentire Cordub. in *summ. q. 152.* vbi ait, quando Condicio addita, pœnæ rationem habet, potest Episcopus votum soluere, vel commutare: quando verò solum est conditio, non pœna, tunc voti absolutio referuata est Romano Pontifici, & pari ratione commutatio referuatur eidem. Pœna est cum quis vouerit, se in religionem ingressurum. si hoc aut illud peccati genus non cauerit. Condicio est, nõ pœna, si voueat, religionem se suscepturum pro mitto, si filius meus ex morbo saluus euaserit, aut ex Asia redierit. Idque colligunt, quia talia vota non sunt studio, & gratia Castitatis, vel Religionis, sed potius animo ab his penitus alieno: at Romano Pontifici videntur referuari tantummodo vota facta amore, & causa, vel Castimonie seruandæ, vel Religionis amplectendæ. Tertia sententia est Nauarri distinguens hunc in modum in *Manual. cap. 12. numer. 43.* Aut enim Titius votum facit, abstinebo à certo peccati genere, quod nisi fecerim, voueo Castitatem, aut Religionem: quo casu Nauarrus ait duo vouisse Titium, vnum principale, quod est continere se à certo peccati genere; Alterum, quod ad principale accedit, quod est Castitatem perpetuo seruare, vel se ad Religiosorum domicilia conferre: Aut votum facit hoc modo: si certum peccati genus ad misero, Castitatem perpetuo seruabo, vel Religionis institutum suscipiam: Quo casu, inquit, vnum tantum est votum sub conditione. Si primo modo fiat, potest Episcopi auctoritate commutari, & relaxari non impleta conditione, quoniam principale votum, cum non sit Romano Pontifici referuatum, iure illud potest Episcopus permutare, vel dissoluere: at sublato, vel commutato principali, secundum, quod ad illud accedit, commutatur, vel relaxatur: expleta verò conditione, Episcopi potestati amplius nõ subijcitur, quoniam votum castitatis, vel Religionis, quod erat cum altero coniunctum, absolutum euasit. Si verò secundo modo fiat, nequit Episcopi auctoritate solui, vel commutari, siue ante, siue post conditionem expletam, quia est Castitatis votum, vel Religionis. Hæc opinio, quæ eadem ferè est atq; illa Soti, mihi magis probatur: vbi enim ius nullam pontificiam distinctionem, nec nos ponere debemus: sed ius, & consuetudo nihil distinguunt in voto castitatis,

vel Re-

vel Religionis, sit ne factum causa, & studio pietatis, an secus: ergo in vniuersum Conditionale, & Penale votum Religionis, vel Castitatis, Romano Pontifici referuatur.

**Decimoquarto** quæritur, An votum quod quis facit de Virginitate seruanda, sit Romano Pontifici referuatum? Nam ex vno capite argumenta concludunt hoc votum esse Castitatis, & proinde referuatum. Ex altero verò, argumentis quæque videtur effici, tale votum non esse Castitatis: nam qui Virginitatem vouet, perinde est, ac si Deo promittat se nunquam primum contra Castitatem peccatū facturum, siue virginealem corporis integritatem semper seruaturum, ac propterea amissa virginitate, non videtur amplius voti vinculo adstrictus ad castimoniam seruandam: quemadmodum si quis esset innocens, & ex diuino auxilio innocētiā seruandi votum Deo nuncuparet, perinde faceret, ac si voueret se primum peccatum nunquam admissurum, eo verò commisso, quoniam innocentia perditur, non est amplius obligatio ad peccatum in posterum deuitandum. **Respondeo**, Virginitatem posse promitti Deo tripliciter: Aut enim qui eam vouet, in animo habet castimoniam simpliciter seruare, & tunc Virginitatis votum idem est, quod Castitatis, & idcirco Romano Pontifici referuatum: Aut in animo eius tantum est sese integrum, & incorruptum seruare à primo libidinis, & luxurie peccato, & tunc non esset votum simpliciter Castitatis: id quod argumenta primo posita comprobant. Neque enim is, qui vouet virginitatem hoc modo, promittit simpliciter castitatem, sed tantum eam, quæ est virginum propria, videlicet, quæ consistit in integro, & incorrupto corpore: & ideo hoc votum non videtur Romano Pontifici referuatum, quia solum est votum de seruanda castitate ex parte, non ex toto. Aut vouet quis virginitatem absolutè, & simpliciter nihil cogitans, differat ne virginitas aliqua ratione à castitate, an secus. Et existimo, hoc votum per se, & simpliciter Romano Pontifici referuari, quia est votum absolutè, & simpliciter castitatis: quoniam, vt inferius docebo, votum Virginitatis simpliciter per se est idem, quod Castitatis. S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 3. ad 2.

**Decimoquinto** quæritur, An votum nunquam petendi ab alio, quam à Romano Pontifice relaxationem, vel commutationem voti, sit ei referuatum? **Respondeo**, non esse: quia non est vnum ex quinque illis, quorum supra meminimus. **Deinde**, nemo potest ita aliquid vouere, vt votum ab Episcopi, vel alterius superioris legitima potestate possit eximere, & alteri referuare.

**Decimosexto** quæritur, An si Episcopus, vel Romanus Pontifex aliquem sine causa iusta voti vinculo soluat, subsistat, ac valeat absolutio? **Respondeo**, ex communi Theologorum, & Pontificij iuris interpretum sententia, quam habet Sor. lib. 7. de iust. q. 4. art. 3. ad 2. prope finem, & habet Nauar. in Manna. cap. 12. num. 76. ex S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 12. ad 2. irritam esse, & inanem: quoniam iure naturali, & diuino vota reddere quisque debet, & in ea, quæ sunt naturalis, vel diuini iuris, ius non habet Pontificia potestas, quando nulla iusta, & debita causa subest. Ex quo perspicitur non fo-

lum peccare Pontificem, cum vota sine causa iusta, & legitima votum relaxandum curat, sed eum itidem, qui prædicta relaxatione voti videlicet absque eiusmodi causa, honesta scilicet, & rationi cōsentanea impetrata, scienter vitur: eo quod vitur relaxatione voti, quæ est inanis, & irrita: Sic Sotus loco citato.

**Decimoseptimo** quæritur, Quæ sint iustæ causæ relaxandi vota? **Respondeo**, eas esse, vel necessitatem, vel utilitatem publicam, aut priuatam; probabile item peccati periculum, hoc est, cum probabiliter iudicatur, eum, qui vouerat, ita esse affectum, vt credatur votum sapius violaturum. Cum etiam votum est factum ex quadam animi leuitate, perturbatione, vt potè ira, moerore; cum item metu periculi, dolosè, aut vi: Cum præterea dubitatur, fuerit necne factum votum, sit ne voti materia utilis, & bona: nam vsu venit interdum, vt dubitetur, num Titius votum fecerit, an non fecerit: & an res, quam Deo promisit, sit idonea voti materia, an secus: an facta sit inutilis: an impediatur aliud bonum, quod maius esse videatur. Nauar. in Man. c. 12. nu. 76. & 27. ex Abbate, S. Thom. & Antonino.

**Decimooctauo** quæritur, An potestas commutandi relaxandique vota, sit spiritualis à Christo Domino accepta, an verò ex iure naturali profecta? **Respondeo** esse spiritualem à Christo Domino suæ Ecclesiæ datam, in hoc enim eiusmodi potestas distinguitur à facultate rescindendi, & irrita faciendi vota, quod hæc à iure naturali originem ducit, & pertinet ad eos, qui temporalem, siue citiilem tantum iurisdictionem, & administrationem habent; & proinde est etiam penes Gentiles, apud quos vir, pater, & Dominus iure possunt vota vxoris, filij, & serui irrita facere, apud quos tamen nulla est potestas spiritualis alios à voti nexu, & vinculo soluendi. **ROGABIS**, vnde constet, hanc potestatem Christum Ecclesiæ suæ tradidisse? **Respondeo**, ex frequenti, & diuturna Ecclesiæ consuetudine, quæ multis retro ab hinc seculis obseruatur. Et ego quidem puro Ecclesiam hanc potestatem accepisse à Christo illis verbis Matth. 16. quidquid ligaueris super terram, erit ligatum in celis, & quidquid solueris super terram, erit solutum in celis, eo loco Christus Dominus promissit se daturum Petro clauis Regni Cælorum, quibus cælum aperiret, vel clauderet: & Ioann. 21. promissum exsoluit, cum dixit ter Petro: pasc oves meas.

**Decimonono** quæritur, An is, cui datur facultas commutandi, vel relaxandi vota, iure possit relaxare, vel commutare vota, etiam si fuerint iureiurando firmata. Hanc quaestionem ante iam dilui, hoc libro cap. 10. q. 2. vbi dixi, non posse, quia votum, & iusurandum sunt duo vincula distincta, & proinde in facultate relaxandi, vel commutandi vota non intelligitur concessa potestas relaxandi, vel commutandi eadem vota iureiurando confirmata. Sic Nauar. in conf. 3. de iureiur. n. 6. & in Man. c. 27. n. 275. quamuis, vt supra dixi, quidam iuniores oppositum sentiant.

**Vigesimo** quæritur, Quid iuris, & potestatis habeant Cōfessarij nostræ societatis in votorum commutatione, relaxatione? **Respondeo**, in Compendio Priuilegiorum eiusdem Societatis

verbo *Communitio* S. i. hæc haberi: *Confessarij Societatis* possunt commutare omnia vota, exceptis *Vitamarino*, & *Peregrinationis* ad limina *Apostolorum Petri*, & *Pauli in Vrbe*, & ad *S. Iacobum Compostellanum, Castilianis, vel Religiosis*, quam facultatem, cum eadem exceptione extendit *Gregorius XIII.* ad vota etiam iureiurando firmata: dummodo commutatio non sit in detrimentum tertij: Et subiungitur. *Hanc facultatem communicat Societas cum omnibus Confessarijs Superiorum auctoritate deputatis, & ab ordinario loci approbatis iuxta formam Concilij Tridentini, sessionis 23, cap. 15. De Reformatione, §. 2. dicitur: h, ad quos pertinet ius admittendi eos, qui ingredi volunt in Societatem, possunt commutare votum simplex ingrediendi in aliam Religionem, etiam certam, in vota consuetam Societatis, quando is, cuius votum est commutandum, devotionem ad id sentiret, vel Societas, aut qui ipsam admittit, vocationem eius esse possidet ad Societatem nostram, quam ad aliam Religionem existimaret.*

§. 3. Subiungitur: *Omnes Præpositi Domorum, ac Rectores, seu Visitatores Societatis, sine prædicta limitatione, de qua in §. præcedenti, possunt dispensare cum ingrediendis in Societatem, etiam si in arctiorem Religionem se ingressuras volissent. Si quis tamen à Societate ante professionem recesserit, nulla erit dispensatio: Possunt itidem in Societatem admitti quicumque aliquam Religionem suscipiendi, & ibi permanendi, ex quavis causa votum fecerint. Deinde verò subiicitur: *Hæc facultate soli, & admodum consideratè videntur Provinciales; nisi ipsi eam in causa certo cum aliquo communicauerint: & cum ipsi fuerint admodum Præpositi Generales. Et in verbo Dispensatio, §. 9. dicitur: Possunt nostri Confessarij, si sint viri docti, & iuxta formam Concilij Tridentini approbati, ex commissione Provincialis dispensare ad petendum debitum in his, qui post votum simplex Castitatis matrimonium contraxerunt. Et subiungitur: *Communicantur & facultas Provincialibus, & alijs Confessarijs, quibus ipsi per se, vel per alios eam commiserint, admoniti penitente, ut si superstes vixerit, votum seruet.***

Sed dubia questio est, an hæc facultas protendatur, etiam ad eos, qui post votum simplex Castitatis solum matrimonium contraxerint, quod nondum consummarunt; an verò duntaxat intelligatur de ijs, qui contraxerunt, & consummarunt? Quidam putant extendi etiam ad eos, qui tantummodo contraxerunt non consummarunt: quod ea in primis ratione conficiunt, quia facultas generalis est de ijs, qui post votum contraxerunt, ergo nos eam non oportet restringere. Deinde, privilegium, & beneficium Principis plenissime interpretari debemus; *L. Beneficium ff. De Constitution. Princip. Postremò, quia est probabilis Soti sententia in 4. d. 38. q. 2. ar. 1. post conclus. 2. eos, qui post votum simplex Castitatis matrimonium contraxerunt, tuta conscientia posse matrimonium consummare reddendo debitum; at petendo non item: nec eos esse cogendos ad Religiosorum domicilia transire, ubi Castitatem seruent. Quæ sententia mihi certè, ut verum fatear, valde incerta, & dubia videtur, quoniam, ut inferius dicam, verus est, huiusmodi voto Castitatis adstrictos obligari ad capeendam Religionem ante matrimonium consummatum: quia cum adhuc sine habiles, & idonei ad sum votum seruandū, id facere, ipsius voti religione coguntur. Quod si ad Monasterium se conferre vi voti debent, non*

video, qua ratione prædicta facultas de ijs intelligi queat: eam enim puto concessam ob salutem, & bonum eorum, qui ita matrimonium contraxerunt, ut adhuc sint obligati ad debitum reddendum, priuati tamen iure petendi: quales sunt, qui post votum prædictum contraxerunt, atque consummarunt. Porro beneficium Principis plenissimam interpretationem recipit, cum versatur in ijs, quæ iuri communi non derogant. Ex quo etiam fit, ut minus dubitem de eo, quod quæri possit; An ea facultas merito etiam trahatur ad eos, qui post votum simplex Religionis matrimonium contraxerunt, sed nondum consummauerunt. Certum enim existimo, ad hos minimè extendi, quia illud Privilegium solum loquitur de voto simplicis Castitatis, non Religionis.

Rursus eodem verbo *Dispensatio, §. 10. habetur: Per facultatem Benedictini concessam à Martino V. possunt nostri Confessarij deputati, & legitime approbati dispensare in votis etiam Episcopo reuerentis. Et subiungitur: Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & alijs Confessarijs, quibus ipsi eam commiserint.*

Vigesimalimò quæritur, An vota Religiosi, qui adhuc Tiro, & Nouitius est, possit iure Superior absoluere? Supra cap. 17. questio. 20. & 21. tractati questio. 20. quæri solet, an vota Nouitiorum iure possit Superior irrita facere, & dixi ex sententia Nauarri in *Manual. cap. 12. nu. 65.* non posse eo modo, quo potest vota professorum irrita reddere, quia Nouitius non est religiosus effectus, & ideo voluntas eius à voluntate Superioris non pendet. Pari ratione Superior iure non potest vota Nouitiorum relaxare eo modo, quo potest vota professorum: unde Nouitij vota, quando Nouitius est, aut impleri possunt, sine damno, & incommodo Religionis, aut non possunt: si possunt, impleri debent, cuiusmodi sunt vota realia, quibus Nouitius promitteret Deo, se aliqua daturum in vfus pauperum; si bona habeat, ex quibus dare possit, ea in pauperes erogare debet. Si impleri nequeunt, qualia sunt vota personalia iuniorum, peregrinationum, differuntur ad tempus, & quasi sopita sunt, eo quod impediunt Nouitij probationem: & hæc postea per religionis professionem extinguuntur, & proinde desinunt. Ita Syluester Paludanum, & Antoninum sequutus, votum, quarto, questione 7. versicul. tertium, secundum *Archiepiscopum*. Vota enim personalia Nouitij commutantur in solenne votum religionis ipso iure communi, cap. *Scripturæ de voto, & votiredemptione*. & propterea finiuntur. Nihilominus potest Superior vota Nouitiorum absoluere, & relaxare eo modo, quo potest vota Laicorum, qui Nouitij, aut religiosi non sunt, nimirum id potest privilegio, vel facultate à Romano Pontifice data Regularibus erga externorum vota.

Vigesimalimò quæritur, An is, qui demandata sibi facultate potest votum soluere, vel commutare, possit id facere per alterum. *Respondendo non posse: quia ei non demandatur iurisdictionis potestas, sed nudum ministerium. V. G. ut votum commutet, vel relaxet, vel soluat. Ex Sylu. delegatus, quest. 8. vbi citat Innocentium, & alios.*

Vigesimalimò quæritur, An is, cui committitur facultas commutandi votum, vel relaxandi,

possit commutare vel relaxare pœnas ob violatum votum? *Respondeo*, aliud esse commutare votum, aliud commutare, vel remittere pœnas contractas. *Nau. conf. 35. de voto.*

### Caput X X.

#### De Votorum interpretatione.

**A**nimaduertendum est, vota non solum aliquando posse nos irrita reddere, & absolueri, sed etiam interpretari. Tunc autem vota interpretantur, cum ex hoc, quod obscuri, incerti, vel dubij, & ambigui aliquid continent, declaramus, in quem sensum accipienda sint.

His præcognitis, *Primò* queritur, an votum amplè, & plenè interpretari debeamus, an potius præse, & stricte? *Hofstien. & Abbas* docent teste *Syluest. iuramentum. 3. quæst. 3.* Iusurandum stricte nos interpretari debere, vt quoad fieri potest, periculum perjurij caueatur, & minus etiam peccetur. Sic etiam dici potest, votum stricte, & præse nos interpretari oportere, vt quâ maximè possit fieri, occasione non violâdi votum, & omne peccati periculum præcidamus, ac vt minus etiam peccetur. Quo fit, vt ea in votum minimè cadere iudicandum sit, quæ verosimiliter quis non vovisset, si ea tunc cum vouit, sibi in mentem venissent. Ac quemadmodum iusurandum eum, qui iurat, non obligat vltra animum, ac voluntatem, quam habet: sic etiam votum nequaquam extenditur vltra voluntatem eius, qui vouit, ad non cogitata, vel non promissa. *Syluest. iuramentum. 4. quæst. 6.* *Hofstiensem* sequutus *ex c. quemadmodum, de iureiuran.*

*Secundò* queritur, An *Titius V. G.* qui promissit se calicem aureum, vel argenteum alicui Ecclesie daturum, aut equum, vel bouem hospitali domui, debeat equum, vel bouem emere, si omnes sui equi, boues, vel calices perierint? *Respondeo*, cum *Sylu. religio. 2. quæstio. 16.* nisi expressè sponderit vnum ex his, quos habet, debere emere alium, quoniam ad id, se voto obligauit. Veluti si promississet tibi daturum equum, & tui omnes equi perissent, deberes emere aliū equū, eo quod de equo generatim, non autem speciatim est facta promissio. Pari etiam modo, qui vouit Monasticam vitam, si in vnum Monasterium non admittitur, debet aliud adire, & ibi se admittendum curare. *Obijcies*, quod habetur in *l. Triticum, & l. Qui insulam. ff. De Verb. obligationib.* Si promitto tibi triticum, nulla oritur obligatio, cum nullum certū tritici genus, aut certa quantitas promissa videatur. Similiter nullum est legatum, si legatur animal generaliter. *L. legatio generaliter. ff. De legat. 1.* Nam incertitudo rei, vel quantitatis obligationē vitiat. *Respondeo*, cum *Abbate* in *cap. veniens, de iureiur.* vbi obligationis substantia constat, incertitudo quantitatis non vitiat obligationem. Item, sicut ob fauorem dotis obligatio inducitur, etiam si dos generatim promittatur; vt si quis promissit dotem, eius quantitas definiri debet arbitrio boni viri, facultatibus, & dignitate personarum inspectis: ita etiam in votis, licet aliquid generaliter vouerit quis, Canonica æquitas ob gratiam diuini cultus interpretatur quantitatem rei voto promissæ. Si vouerit te quotannis daturum vnam

vini, vel frumenti mensuram: iure potes dare vnam malueris. *Hofstien. in ca. ex parte de voto. Sylu. votum. 2. q. 15.*

*Tertio* queritur, Quid sit iudicandum de eo, qui promissit se ieiunium seruaturum sexta quaque hebdomadæ feria, & dies Natalis Dominici incidit in sextam Feriam, quo die iure communi conceditur carnis elus? *Respondeo*: aut in animo eius fuit sese expressim obligare ad ieiunium eo etiam die seruandum, & sic iure carnis vesci non potest, quoniam Pontificum decretū permittit quidem eo die carnes edere, sed non præcipit; præsertim cum ius ipsum excipiat eos, qui peculiari voti vinculo, aut Monasticæ regulæ instituto adstricti sunt ad carnis abstinentiam seruandam. *cap. Explicari. De obserua. ieiuniorum.* **ROGABIS**; Quid si nihil de tali euentu cogitauerit is, qui vouit? *Respondeo* iuxta Regulam paulò ante traditam, votum nos mitius, & benignius interpretari debere. Et cum verosimiliter credi possit, id si eius menti occurrisset, non se tale votum facturum, tuta conscientia interpretari possumus, eum voti religione non cogi in Natali Dominico à carnis abstinere, aut ieiunium seruare.

*Quartò* queritur, Quid sit dicendum, cum *Titius* ieiunium vouit in die sacro *S. Matthei*, aut *S. Laurentij*, & dies ille incidit in Dominicam, An ieiunium seruare debeat in Dominica die, an potius in Sabbato? *Respondeo*, ieiunium in die Dominica seruare, cum iure Canonico non conuenit, de *Consecrat. dist. 15. cap. Quadragesima, & cap. Si quis Presbyter. d. 30.* quamuis Canones, & iura non imperent: ne quis ieiunio eo die corpus affligat. Quare si dies ille sacer in Dominicam diem incurrit, ieiunium est seruandū in Sabbato, vt se quilibet ad Ecclesiæ cōsuetudinem accommodet: præsertim etiam cum in mentem non venerit Dominica dies, cum factum est votum. Pari etiam modo, si est promissum ieiunium in peruiugio *S. Matthei* Apostoli, & illud incidat in Dominicam, ieiunium est in Sabbatum pridie eius Dominicæ diei transferendum, propter cōsuetudinem, & morem Ecclesiæ, vt constat *c. 1. De obserua. ieiuniorum. Sylu. votum. 4. q. 16.* Idem mihi videtur de eo, qui vouisset quotidianum ieiunium se seruaturū ad annum: nam si expressim dies Dominicos voto non comprehendit eos, benignè licet excludere, ne cōtra morem Ecclesiæ: 13 diebus ieiunium seruare cogatur.

*Quintò* queritur, Quo pacto obligetur is, qui duo vota fecit, vnum post alterum, iecum ipsa pugnantia? *Respondeo* cum *S. Thom. in 4. d. 38. q. 2. ar. 4. q. 1. & Sylu. votum. 2. q. 17.* si sibi minimè aduersentur, vt vnumque seruari debere sit secus, id seruandum esse, quod maius est, videlicet, quod arctioris est vinculi. Hoc tamen debet intelligi, si quod maius est, in maius legitime commutetur, aut in maiori cōtineatur, aut si quod minus est, maius bonum impediatur, vt potè in Religionem ingreffiū. Si autem vota sint æqualia, seruandum est primum, cum quo secundum votum vim, & locum habere non potuit. Hinc facile intelligitur, quid de eo iudicandum sit, qui votum fecit in hunc modum: nihil coctum, neque panem etiam comedam in peruiugio *S. Laurentij*, cum postea, vel antea vouerit se nihil cibi sumpturum in sexta Feria, nisi panem, ac deinde peruigium

sancti Lau-

Sanct. Laurentij cadit in sextam Feriam? Nam si cum secundo vouit, fuit in memor primii voti, debet primum tantummodo seruare, quandoquidem verosimiliter ille primum fuerat excepturus, si id animo prauideret. Quod si primi meminit, neque illud exceptit, & votum vtrumque par hinc & quale est, seruari primum debet: si verò alterum sit maius, in illud, quod minus est, auctoritate eius, qui potest, commutetur. Syluest. loco citato.

Sexto queritur, An Titio, qui ad diem certum ieiunium vouit, ita seruandum ieiunium sit, vt ab ouis, & alijs cibis ex lacte originem trahentibus debeat abstinere? Respondeo, si id expresse vouerit, ita esse promissum seruandum; si secus, se ad patrie consuetudinem accommodet: nam iure communi in diebus quadragenarij ieiunij ab ouis, butiro, lacte, & caseo abstinetur, cap. Denique d. 4. Cetera verò ieiunia pro vario patrie more, & consuetudine seruantur. QVAERES, an qui ieiunium promisit ad certum diem, toties peccet, quoties eo die comedit post ieiunium violatum? Respondeo, inter auctores diuersas esse sententias, an ieiunij preceptum, & legem perfringere censetur is, qui postquam bis comederit, comedit tertio, quarto etiam, & quinto, quibusdam negantibus, alijs verò affirmantibus: de qua quaestione suo loco dicemus, id solum in praesentia dixisse contenti, toties contra votum fieri, quoties eo die carnes eduntur: hoc videtur valde probabile, quoniam ieiunium in certo die seruandum, hoc continet, vt nunquam eo die carnes comedatur. Non tamen contra votum agitur, si ceteri cibi in ieiuniorum diebus concessi tertio, quarto, aut quinto etiam, ac saepius edantur postquam fuerit votum semel violatum; est enim credibile, neminem se voto de ieiunio eo die seruando obligare voluisse, vt post violatum semel ieiunium, eo quod bis comederit, esset sibi eo die ab omnibus abstinentum. Sylu. votum. 2. q. 20. disto 4. Ang. votum 3. q. 27.

Septimo queritur, Quid dicendum sit, cum Titius vouit nunquam se bibiturum vini, aut ad certum diem, & deinde cum sit presbyter, Missae sacrificium facit, & offert, An dum in altari sacris operatur, in consueta ablutione post Dominici sanguinis sumpcionem, vti sola aqua debeat? Respondeo, minimè, quoniam votum mitius interpretari debemus, ne sit contra communem Ecclesiae morem: quo presbyteri in ea ablutione vino, & aqua vtuntur.

Octauo queritur, An is, qui vouit se nunquam vinum bibiturum toties votum violet, quoties vinum spontè bibit. Respondeo Syluest. votum. 2. quest. 20. disto 5. cum Palud. in 4. d. 33. questio. 3. art. 4. toties peccare, quoties biberit. Et idem etiam, inquit, dicendum est de eo, qui vouit se ad certum tempus vinum non bibiturum, toties enim peccat, quoties intra illud tempus vinum bibit: nisi vouerit se vinum non gustaturum nisi post certum tempus elapsum, ita vt solum se voto obligauerit ad abstinendum semel vino. Sic etiam Angel. votum. 3. q. 27.

Nono queritur, Qua ratione intelligatur, quod in c. super eo, De Regularibus sancitum est, de clericis nimirum, qui Religionis habitum susce-

runt, & ante professionem ad priorem vitam statum sunt reuersi, vbi respondet Pontifex, eos cogendos ad mitiorem Religionem transire, si arctiorem perferre noluerint, ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur. Et idem decernitur in c. consulti, De ijs, qui Religionis habitum susceperunt, eo animo, vt priorem vitae statum simpliciter mutarent. Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Antonius Butrius, & alij, in cap. consulti, & ca. super eo, citatis, sentiunt, per habitum Religionis eo animo proposito susceptum, fieri tacitam Religiosae vitae, & instituti professionem ex Ecclesiae decreto, & proinde eos Clericos, etiam si à Monasterio, quod sunt ingressi, recesserint, cogendos Religionem capessere, quoniam sunt tacite Religioni generatim acceptè obligati. Mihi tamè verius videtur, quod visum est Cardinali, & Abbati locis citatis, Angel. votum. 1. n. 7. Syluest. votum. 1. q. 2. hanc esse in capitulis supra citatis, sententiam: Pontifices intellexerunt, nomine propostiti, & voluntatis simpliciter priorem vitam mutandi vnà cum habitu Religionis suscepto, votum profecti Monasticam vitam, & in ea perseverandi, & proinde licet praedicti Clerici ab arctiori Religione semel suscepta recesserant, aliam mitiorem amplecti debebant, vt inferius quoque dicitur.

Decimo queritur, An qui promisit se cuidam Ecclesiae daturum aliquot modos frumenti, & vini cados quotannis, votum persolvere debeat in mensuris maioribus, an in minoribus, cum eiuusmodi variae sint, & diuersae. Hæc quaestio tractatur in c. ex parte, De censibus. Hispani enim Deo votum nuncupauerant, quo promiserant se soluturos Archiepiscopo Compostellano in honorem S. Iacobi Apost. certas frumenti mensuras, & deinde votum persolvebant in mensuris minimis, de qua re Archiepiscopus conquerebatur. Cui Pontifex respondit: Cum nō constet, in qua mensura antecessores vota persoluerint, videndum est, an habitores regionis, qui eam continue persoluerunt, iuxta vnā & eandem mensuram votum persoluerint, an iuxta varias, & diuersas: In primo, inquit, casu, iuxta eam communem mensuram sunt cogendi vota persolvere. In secundo verò casu, si iuxta minorem vota reddant, non sunt compellendi maiorem mensuram persolvere: quoniam cū huiusmodi vota fuerint ab initio gratuita, benignius sunt à viris Ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur in rebus temporalibus inhiare. Hæc Pontifex. Ex quibus colligit Abbas, verba in votis ambigua interpretationem recipere iuxta communem patrie morem, vt etiam ex c. Ex literis, De sponsalibus, deducitur, & ex l. Si seruus plurium, §. Si numerus ff. De legatis. 1. vbi dicitur: si numerus numerorum legatus sit, neq; appareat, quales sint legati, aut omnia ipsius patrisfamilias consuetudo, deinde regionis, in qua versatur est exquirenda, sed & mens patrisfamilias, & legatarij dignitas, & charitas, & necessitudo, item earum que procedunt, vel que sequuntur summarum scripta sunt expectanda. Hæc ibi lex. item, colligit Abbas, in votis aliquando benignam interpretationem fieri, ita vt minus obligent vouentes: sic etiam in legatis, vt habetur in l. Nummis ff. De legatis 3. Vbi dicitur. Nummis indistinctè legatus hoc receptum est, vt exigiores legati videantur, si neq; ex consuetudine patrisfamilias, neque ex regione vnà fuerit, neq; ex contextu testamenti possit apparere. Si contra obijcias, quod ha-

betur in l. Titia, §. Sempronia, & §. Seia, ff. De auro, & argenteo legato, ubi statuitur, legatam relictam Ecclesie latissimam interpretationem recipere. Ut si quis legauit Ecclesie calicem, non est intelligendum esse legatum æneum calicem, sed argenteum: ergo si quis vouit Ecclesie aliquas tritici mensuras, maiores debent intelligi promissæ, non minores. **Respondeo**, cum Abbate, in legatis fieri latam interpretationem in gratiam piæ causæ, quia interpretatio est contra heredem, non contra testatorem. At verò in votis cum interpretatio fiat eòtra vouentem, mitior esse debet, tum ne Ecclesia videatur esse sollicita de temporalibus lucris, & commodis, tum ne ceteri à munificètia in Ecclesiam auocentur. Nihilominus tamen cum quis calicem prætulerit certæ Ecclesie, intelligitur promissus calix aptus, & accommodatus ad cultum diuinum, & proinde debet aureum, vel argenteum, non æneum calicem offerre, & dare.

**Vndecimò** quæritur, Cum sæpe vsu veniat, ut quis promittat Deo se aliquid facturum, si eius auxilio, & beneficio aliquod peccati genus euitet, qua ratione interpretandum sit id voti genus, expectandum sit nec ne, singulare aliquod, ac peculiare auxilium Dei? **Respondeo** nõ esse expectandum singulare, quod sit maius solito, nisi id in voto quis expresserit, sed tantum commune, ac consuetum: quod tunc datur, cum is debita, & iusta de more diligentia adhibita illud peccatum deuittat: & proinde votum persoluendum sibi erit, cum iam voti conditio sit impleta. Sed quid, si nihil in ea re studij, & operæ collocauit, quo factum est, ut in peccatum incurreret? **Respondent** quidam votum nihilominus esse reddendum, quia per ipsum stetit, quominus conditio impleteretur; & ideo debet præstare promissum. Sed verius est, quod Sylu. *votum. 2. q. 2.* ait Richardum, & Angelum sequutus, si is, qui ita vouit, scienter, & sua sponte se in peccatum præcipitat, aut sese peccati periculis obijcit, aut peccata occasiones quærit, voti obligatione tenetur, quemadmodum cum voueres aliquid, si Titius in domum tuam ingredere, & deinde Titio sæpius ad te venienti fores occluderes, ne in domum intraret, voti vinculo teneris, eo quod per te fiat, quominus ingrediat: secus, si id faceres ex incuria, vel negligentia, & obliuione.

## Caput XXI.

### De simplici Castitatis siue Continentiæ voto.

**PRIMO** quæritur, An peccet qui post votum simplex Castitatis matrimonium contrahit, antequam illud consummet? Duæ sunt opiniones: prima distinguit, Aut contrahit animo, & voluntate consummandi matrimonium, & hic grauius peccat, quia id facere nequit nisi violando, frangendoque votum. Aut contrahit voluntate transeundi ad Religiosum statum antequam matrimonium perficiat, & hic nullum peccatum incurrit. Ita sentit Angel. *Matrimonium 3. impedimentum. 5. nu. 1. Mai. 4. d. 32. q. 2. concl. 1. Calderi. in c. rursus, qui Clerici, vel vouentes, idem videtur sentire Cai. p. 3. q. 29. art. 1. & in sum. Matrimonium. Petrus Ledesmus tract.*

*de Matrim. q. 53. a. 1. dab. 1. docet hanc sententiam esse probabilem. Ratio eorum est, quoniam post matrimonium ratum nondum consummatum, liberum est cuique coniugi sese ad Religionem conferre. Deinde, quia in cap. Commissum, De sponsalibus, sancitum est, ut iuuenis, qui iurando puellam promiserat se eam vxorem ducturum, prius matrimonium contraheret iure iurando seruato; & deinde ad Religiosum monasterium transiret. Secunda opinio generaliter docet, eum peccare, matrimonium contrahendo antequam illud perficiat: & hæc est communi Theologorum, Canonici iuris interpretum, & Summistarum consensu recepta. Ita sentiunt Sotus 4. distincti. 38. questio. 2. artic. 1. Syluest. *Matrimonium 7. quest. 5. Abbas, Glossa, & alij, in cap. rursus, qui Clerici, vel vouen. Richardus 4. distincti. 38. artic. 7. quest. 1. Nauarr. in Manuali cap. 22. nu. 73.* quam ratio ipsa concludit: Nam nuptiæ ideo contrahuntur, ut postea compleantur, is enim qui contrahit, debet in animo habere, matrimonium perficere, & consummare, nisi aliunde peculiari aliquo iure, & ratione impediatur. Et ca. vouentibus, 27. quest. 1. ex Hieronymo dicitur, vouentibus virginitatem non solum habere, sed etiam velle habere damnabile est. Id verò quod in ca. Commissum, statuitur in quem sensum accipiendum sit superius indicaui, & ex ca. rursus, qui Clerici, vel vouen. & ca. consilium. de voto, colligitur, esse peccatum, contrahere.*

**Secundò** quæritur, An qui post simplex votum Castitatis matrimonium peccando contrahit, illud consummando, peccatum denuo committat. Duæ sunt opiniones, prima distinguit huc in modum: Aut consummat coniugale debitum petendo, & hic denuo in peccatum incurrit, quia votum violat petendo, & exigendo debitum: aut debitum reddendo consummat, & hic nihil peccat, cum ius alteri coniugi debitum soluat. Sic opinantur Angel. *Matrimonium 3. impedimentum. 5. num. 2. Sotus 4. d. 38. q. 2. artic. 1.* Opinio secunda in vniuersum docet, eum peccare, quando matrimonium consummat, & perficit, siue reddendo, siue exigendo debitum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 189. a. 8. in argumento 3. Richard. 4. d. 38. ar. 7. q. 1. ad 2. Auton. p. 3. tit. 1. c. 16. §. 1. Palud. 4. d. 27. q. 1. ar. 3. in casu 5. & 93. ar. 1. conclus. 2. Ateusis. in sum. li. 8. tit. 16. q. 1. Rosel. *impedimentum. 4. nu. 9. Sylu. matrimonium 7. q. 5. vers. 3. Tab. impedimentum 2. q. 6. Armil. matrimonium. nu. 55. Nauarr. in Man. cap. 12. nu. 80.* Immo addit Rosella, oppositam sententiam periculosam esse: & Nauarrus, Sotum oppugnat: Et certè hæc communis sententia eòtra Sotum, & alios quosdam iuniores Theologos aperte probatur testimonio S. Thomæ in additione, ad tertiam partem, questione 53. artic. 1. ad 3. Totum huius controversiæ dissidium in hoc consistit, An qui post huiusmodi votum matrimonium contrahit, antequam illud consummet, Religionem profiteri cogatur, ut suum votum persoluat? Sotus enim putat ad id minime adstringi: quam sententiam colligit ex eo, quod votum castitatis, nõ Religionis fecerat: quod ut seruet, non videtur vlla lege compelli, ad Religionis institutum capeffendum: est enim graue, & durum onus, ac difficile, & arduum vitæ genus, nec in voto castitatis, quod susceperat, eòtentum, nec cogitatum. At verò secundo opiniois auctores existimant, matrimonio cõ-

tracto,

tracto, & nō consummato, vi, & ratione voti antea facti eum obligari ad Religionem profitendam; quia cum adhuc possit ante matrimonium perfectum, votum Castitatis implere vita Religiosa suscepta, id prestare debet. Ad id verò quod Sotus opponit, Religionem in voto castitatis nō esse promissam, respondent, nō fuisse expressim, & directè promissam, sed implicite, & tacite: nā qui castimoniam perpetuam vouet, sese Deo obstringit ad eam seruandam omni ratione, qua potest: sed contracto matrimonio, & non consummato, eam potest Religionem profitendo seruare, ergo id vi, & iure voti prestare cogitur. *Quidam*, inquit, nisi tot, tantorumque Theologorum obstat auctoritas, probabilis sanè videretur Soti sententia: eo quòd matrimonio contracto, iure debitum coniugale redditur, ob rationem paulò ante propositam, cum grauis admodum sit ad Religionem suscipiendam obligatio, nec in voto castitatis contenta, nec præuisa esse videatur. *Mihi* tamen opinio communis magis probatur, & omnino amplectenda videtur, vt quæ firmiori ratione muniatur, & communi Doctorum testimonio confirmetur: quamuis Petrus Ledesma, *tract. de matrimo. quest. 53. art. 1.* dicat opinionem Soti esse probabile: & licet eam sequatur Cordub. *in sum. quest. 136.*

**Tertio** queritur, An qui est simplici voto Castitatis obstrictus, si matrimonium contraxerit, toties votum violet, quoties coniugale debitum exigit? Est duplex opinio, vna docet, eum semel tantum peccare, cum primū debitum petit, postea verò nō item; alioqui enim matrimonium esset alteri coniugi molestum, & graue, eo quòd ad eum duntaxat cura petendi debitum pertineret. Ita videntur sentire Hostien. & Calderi. *in ca. 3. m. s. q. Clerici, vel monen.* quorum sententiam putat Angelus *Matrimonium 3. impedimentum, 5. n. 3.* esse probabilem. Altera opinio tradit eum toties peccare, quoties debitum petit, nisi id faciat ad voluntatem alterius coniugis expressam, vel tacitam, ita vt potius reddere, quàm petere videatur. Hæc est communis Theologorum, Pontificij iuris interpretum, & Summistarum opinio, vt constat ex auctoribus Superiori questione citatis. Quam ratio conuincit, quoniam quoad fieri potest, votum seruare debet is, qui vouit, vnde fit, vt si omni iure petendi priuatus, eo quòd coniux, quod attinet ad debitum exigendum, sui iuris est: & potuit se voto castitatis obstringere, & suo iure petendi debitum cedere.

**Quarto** queritur, An huiusmodi voto adstrictus tua conscientia, post matrimonium contractum, & consummatum, debitum coniugale reddat, & soluat? *Respondeo*, ex communi omnium sententia id posse iure facere, quoniam eo ipso, quod matrimonium consummauit, ineptus est factus ad Monasticam vitam profitendam absque alterius consensu: & alter coniux petendo debitum, exigit ius suum: ergo si debitum denegat, iustitiæ leges violat, quod est graue peccatum: neque enim ex hoc, quòd vnus coniugum sit voto Castitatis adstrictus, alter iure petendi debitum priuatur. Est autem animaduertendum, tripliciter solere debitū peti. **Primo** verbis expressis: **Deinde**, signis, & nutibus. **Postremo**, naturæ

conditione, nimirum, cum præ pudore coniux à petendo abstinere, & alter scit id eum velle, & appetere. Ita S. Thomas, Richardus, Angelus, Syluester, & alij *locis supra citatis.* **Obijcies**; Arctius est vinculum voti, quo tenetur, quàm quo coniugi obligatur, ergo potius debet Castimoniam Deo sanctè promissam, & dicatam seruare, quàm debitum reddere; quoniam voti vinculum, est religionis: coniugij verò, est iustitiæ: at religio, iustitiæ dignitate præstat. *Respondeo*, votum Deo fieri, Deus autem sibi gratum, & acceptum illud non habet, quando cum legibus iustitiæ proximo debita pugnat.

**Quinto** queritur, An si vir, & femina simplici voto castitatis obligati matrimonium contraxerint, iure possint vicissim petere, & reddere debitum? *Respondeo*, omnes conuenire, verum esse matrimonium inter eos contractum, licet contrahendo grauer deliquerint, Votum enim simplex Castitatis solum impedit, ne matrimonium contrahatur, non tamen dirimit contractum. **Deinde**, communi quoque omnium consensu receptum est, neutri eorū fas esse, aut petere, aut reddere debitum: non primum, quia vterque est iure exigendi priuatus; non secundum, quia cum neuter habeat ius petendi, eo ipso alterutri non licet reddere. Ita expressim tradiderunt Rosell. *loco citato.* Syluest. *Matrimonium septimo, questione quinta, & sexta.* Sotus *libro septimo, de iustitia, questione tertia, articulo primo.* Idem iuris est, si vterque coniugum communi consensu post matrimonium contractum, simplex votum Castitatis fecerit: neuter enim in posterum ius habet petendi, vel reddendi debitum.

**Sexto** queritur, quid sit dicendum, si Titius simplici voto Castitatis deuinctus, matrimonium contraxerit, & consummauerit, & postea eius vxor promoriatur, an possit ad aliud matrimonium transire? *Respondeo*, ex communi omnium sententia, eum denuo contra votum peccatum admittere, secundam vxorem ducendo: immo non solum peccare, ad secundas nuptias transeundo, sed etiam illas consummando: quia vt paulò ante dixi, antequam matrimonium secundum perficiat, potest, ac debet Castimoniam voti seruare vitam Monasticam profitendo. Si tamen etiam illud consummet, peccat quidem postea petendo debitum: reddendo tamen, non item.

**Septimo** queritur, An si Titius votum fecerit nunquam contrahendi matrimonium, deinde, voto neglecto contrahat, peccat consummando, siue reddendo debitum. De hac questione Paludanus *in quarto, distinct. 38. questione tertia, articulo quinto, conclusione sexta.* *Respondeo*, considerandam esse Titij mentem, cum vouit: alij enim est, si de hoc voto loquamur iuxta mentem illius, qui vouet; aliud verò si loquamur per se, & secundum rationem, & naturam ipsius voti. Nam si in animo eius, qui vouit, tantum fuit non contrahere, peccat quidem contrahendo, consummando non item. Si verò in animo habuit neque contrahere, neque consummare, non ei licet consummare, etiam si cōtraxerit. Et proinde debet religionem profiteri, vt colligitur ex Paludano *4. distinct. 38. q. 3. art. 5. conclus. 5.* quia religionem professus promissum præstabit; aliter enim suum votum, cum vxore vi-



uens, quā duxit, seruire vix potest, aut potius sine graui periculo seruire non potest. **QVÆRES**, quid dici oporteat, si simpliciter vouit, non contracturum se matrimonium, nihil cogitans, consummaturus esset, ac ne? **Respondeo**, quod tutius est, eligi debere: videtur enim voto adstrictus ad nunquam consummandum. Et idem iuris est, cum dubitat an sese Deo obligauerit voto nunquam contrahendi, & consummandi. **Quod si roges**, an qui tale votum fecerit per se, & ex natura ipsius voti cogatur non consummare matrimonium? **Respondeo**, cogi vi voti, quia nuptiæ contrahuntur, ut compleantur; ex natura ipsius voti cogitur non consummare matrimonium, ergo qui vouit nunquam contrahere, se simpliciter obstrinxit, ut nunquam consummaret. **Oppones**: Qui iurat se contracturum, nō eo ipso, se consummaturum iurat: siquidem post nuptias contractas potest, tuta conscientia, eas non consummare: ergo qui vouit se non contracturum, non idcirco vouit se non consummaturum? **Respondet** Palud. 4. d. 38. q. 3. artic. 5. *Conclus. 6.* plus in negatione, quā in affirmatione contineri: hoc est, plus tollere negationem, quā ponat affirmationem, quoniam qui negat matrimonium, negat actum coniugalem: at qui affirmat matrimonium, non eo ipso, affirmat cōgressum coniugalem: nam matrimonium esse potest absque coniugali complexu: non contra, maritalis complexus, sine matrimonio.

**Quintò quæritur**, An idem iuris sit in ijs, qui post simplex votum Religionis, se matrimonio coniungunt, quod in ijs, qui simplici voto Castitatis adstricti contrahunt matrimonium? **Respondeo**, non esse omnino idem iuris. Nam qui voto Religionis simplici ligatus matrimonium cōtrahit, peccat contrahendo, quia peccati periculum sibi creat, ne videlicet tentatus in tentatione succumbat, & matrimonium consummet. **Deinde**, directò cōtra votum delinquit, si matrimonium cōsummet, siue reddendo, siue petendo debitum, quoniam consummando, votum suum seruire amplius nō potest. Adhæc, matrimonio consummato, contra votum postea non agit, reddendo, aut petendo debitum. Et in hoc simplex votum Religionis, à voto Castitatis distinguitur. Nec enim qui simplex Religionis votum Deo nuncupauit, ad castitatem statim seruandam sese obstrinxit: quod verè tradiderunt Caietanus 2. 2. q. 88. art. 3. *versic. in responsione ad secundum.* Sor. libr. 7. de iust. q. 2. art. 1. *circā tertium argumentum*: Nauar. in Man. c. 12. nu. 47. *versic. Dixi, vouet intentione.* **Postremò** coniuge vita defuncta vi voti debet se ad Religionem recipere, quoniam per matrimonium, votum Religionis, antea factum sublatum, & extinctum non est, sed quasi sopitum ad tempus: Vnde si secundo se matrimonio copulet, denuo votum violat, atque perumpit, quia iterum in periculum incurrit ne suum votum violet consummando. **Quòd** si illud consummet, certè contra votum grauius delinquit.

**Nonò quæritur**, An adstrictus simplici voto, de sacris ordinibus suscipiendis, peccet matrimonium contrahendo? **Sotus** affirmat, eum contra votum peccare, quia contrahendo, sit ad sacros ordines ineptus. **SI QVÆRES**, an post matrimonium contractum, antequam consummet, & per-

ficiat, debeat vitam religiosam capeffere, ut votum, quod fecerat, seruet. **Sot.** 4. d. 38. q. 2. artic. 1. respondet, eum ad id minimè compelli, quia non Religionis, sed sacri ordinis capeffendi, votum fecerat: & graue admodum, ac moleffum est Religionis institutum ei, qui nullo se huiusmodi voto deuinxit, nec votum ad non cogitata protenditur, nec quis ratione eius plus debet exsoluere, quā uouerit. **Mihi** tamen longè probabilius videtur oppositū, sicut supra dixi de eo, qui simplici voto Castitatis obstrictus se matrimonio copulauit. Debet igitur Religionē profiteri, quoniam eam profertendo, promissum præstare commodè potest: quippe, Religionem professus, ad sacros deinde ordines prouehetur.

**Decimo quæritur**, An voto simplici Castitatis sponsalia dirimantur; exempli gratia. Titius puellæ promisit se eam uxorem ducturum, deinde uerò simplici se voto Castitatis adstringit: quæritur, valeat ne votum, an sponsalia? Hanc quæstionem Scholastici tractant, in quarto, *distin. 27.* & Canonici iuris interpretant in cap. *Rursus*, c. ca. *ueniens, qui Clerici, vel uouentes*, & *Syluester. sponsalia. quest. 7.* ubi multas sententias refert. Tres sunt opiniones. **Prima** distinguit: Si votum Castitatis sponsalia antecedit, ea dirimit, tamen si ea iureiurando roborentur: quando uerò sponsalia votum præcedunt, vim, & locum habent, præsertim iureiurando confirmata, nec uero dissoluantur. Ita Innocentius, Hostiensis, Archidiaconus, Ioann. Andr. Abbas, Ancharanus, in c. *rursus, qui Clerici, vel uouent*, & inter Theologos Palud. 4. d. 27. q. 1. artic. 3. in quinto casu prope finem. Antonin. part. 3. tit. 1. cap. 18. §. 2. inter Summiltas Syluester *sponsalia. quest. 7.* Roſel. *impedimentum 4. nu. 4.* & Tabien. *sponsalia. q. 10.* Armil. *sponsalia. nu. 12.* Nauar. in *Manua. cap. 22. nu. 27.* Quòd docent duplici ratione permoti: Tum quia Ecclesia auctoritate Iudicis cogit spōsalia, quæ uotum antecedit, impleri, & seruari, præsertim iureiurando firmata; Aut cogit saltem eum, qui votum post sponsalia emisit, Religionem profiteri, vel fidem puellæ datam implere. Tum quia uotum solenne Castitatis dirimit nuptias sequentes, nō præcedentes, cap. *Ex parte*, c. ca. *Ex publico, De conuers. conuagat.* ergo à simili, uotū simplex Castitatis dissoluit sponsalia sequentia, non præcedentia: præsertim cum per sponsalia præcedentia, alterius aliquod acquisisse uideatur. **Quòd** si iusurandum sponsalia confirmauit, maiorem vim adhibet, siquidem vinculum vnum alteri accedit, cū tamen votum simplex nos vno tantummodo vinculo teneat, ac liget. **Secunda** sententia generaliter docet voto simplici Castitatis sponsalia dissolui, siue ea illud antecendant, siue sequantur. Quam sententiam tenent Sotus 4. d. 27. q. 2. art. 5. Mai. 4. d. 27. q. 5. ad 2. Richar. 4. d. 27. art. 3. q. 4. Ang. *sponsalia. n. 40.* & citat Ioan. Andr. in c. *de illis, de desponsat. impub.* Sic Calder. sic Antonius Butrius, ut citat Roſel. *impedimentum 4. nu. 4.* **Tertia** sententia est asserentum sponsalia dirimi ex parte eius, qui votum non fecit, nō autem ex parte eius, qui castitatem promisit: aut enim liberum esse ei, qui non vouit, à fide data in sponsalibus, recedere, ne sit ei oneri matrimonium, eo quòd alter, qui votum fecit Castitatis, iure non poterit debitum coniugale petere, ac prouide cogatur debitum petere, quocius

voluerit

voluerit uti coniugio, quod absque onere, & difficultate, non fit: at is, qui votum fecit Castitatis fidem datam in sponsalibus seruare debet, quia iure cogitur ab Ecclesia in iudicio, aut in religionem ingredi, aut nuptias contrahere. Sic opinatur Paludanus, & Syluester, *locis supra citatis*. Reuera Sponsalia, iure Canonico, per votum simplex Castitatis, non dirimuntur, & hoc est, quod docent primæ opinionis auctores. At verò in foro conscientie existimo probabilem esse sententiam, sponsalia, quæ publicè contracta non sunt, per votum simplex continentie dissolui: quod secunda opinio tradidit. Etenim Castitatis votum, est egregium virtutis officium, & opus, quod futurarum nuptiarum sponso impedire iure, nec debet, nec potest: ergo siue sponsalia antecedant, siue sequantur, voto simplici Castitatis, aut Religionis, aut sacri ordinis, meo iudicio dirimitur, ne promissio futuri coniugij meliori præstantiorique bono aditum intercludat. Hoc tamen intelligimus ex conditione si sponsalia omni alio iustitiæ vinculo careant. Nam si quis priuatim & clam, alicui puellæ nuptias absolute promiserit, eamque violauerit, aut eius famam aliqua ratione læserit, aut publicè eam sponsalia contraxerit: hæc nisi perfecerit, ei graue damnum, & malum dat: cuiusmodi enim obligatio, nec simplici castitatis, nec Religionis, nec sacri Ordinis suscipiendi voto dissoluitur: eo quòd, Deo vota nostra non placent, si æquitas, aut iustitiæ legibus aduerfentur. Cæterum argumenta primæ sententiæ, contra secundam opinionem, quam sequor, nihil concludunt. Nam Ecclesia cogit quidè sponsalia perfici, quando in iudicio constat ea esse contracta, & de voto simplici Castitatis nihil compertum habet. Item, quia in iudicio agitur secundum Canones, & iura, & in iure sponsalia non dirimuntur per votum simplex castitatis, nisi per ingressum in religionem: & ideo Ecclesia in iudicio non dissoluit sponsalia, per votum simplex castitatis subsequens, vel præcedens, nisi is, qui vouit, ad religionem transeat: quòd si neutrum eorum constet, non simpliciter cogit sponsalia impleri, sed aut ea perfici, aut Religionem eligi, ne alter, cui fuerant nuptiæ promissæ, detrimenti aliquid contrahat. Nos tamen uti diximus, de eo euentu loquimur, quo priuatim, & clam futuræ nuptiæ puellæ simpliciter promittuntur. Deinde, non est idem inris in voto solemnem, quod in simplici: nam solemnem dirimit nuptias, si sequantur, sola Ecclesiæ institutione; at verò præcedentes dissoluere nequit, cum Ecclesia ad id ius, & potestatem non habeat. Cæterum simplex votum castitatis per se vim habet sponsalia soluendi, siue præcedant, siue sequantur, ne futurarum nuptiarum simplex, & nuda promissio nos à meliori, & maiori bono prohibeat. Et miror quosdam iuniores asserere secundam sententiam esse periculosam: quum eam aperte sequatur S. Tho. in *additionibus*, ad p. 3. q. 53. art. 1. ad 1. & post eum sequantur ipsam Richardus, Angelus, Antonius Butrius, Galpar Caldermus, Sotus, & Maior. & eam esse probabiliorē scribit Petrus Ledema. de *matrimo*, q. 42. art. 3.

Vndecimò quaeritur, An qui virginitatem vouit, Castitatem simpliciter vouisse censetur? id est, An votum Virginitatis sit idem, quod votum

Castitatis. Quidam id negant, quia qui Castitatem simpliciter vouet, hoc ipso promittit nunquam se rem conjugalem, aut etiam veneream cum alio habiturum: qui verò Virginitatem vouet, corporis integritatem tantummodo pollicetur, quam seruat si omnem primum conjugalem congressum, & venereum item concubium deuittat, is enim verè, & propriè videtur virgo; sicut innocens quoque is dicitur, qui nullum peccatum contraxit. Aliorum est sententia Virginitatis votum prorsus ex mente, & animo eius, qui vouit iudicari debere. Aut enim eam aliquis promittit habes in animo nunquam, vel maritali, vel venereo complexu cum alio iungi, & hoc est, ac dicitur votum simpliciter Castitatis; aut tantum à primo se concubitu, siue coningali, siue venereo extra coniugium continere, & hoc non est idem votum, quod Castitatis, minus enim continet: & propterea, qui vouet absolute Castitatem votum violat, quoties cum foemina rem habet: qui verò Virginitatem eo modo, quo diximus, vouet, peccat quidem cum ad foeminam primum accedit, amissa verò iam semel corporis integritate, nullo amplius voti nexu tenetur. Mihi tamen magis probatur S. Thomæ 2. 2. q. 88. artic. 3. ad 2. sententia, ubi docet votum Virginitatis idem esse, quod Castitatis. Idem dicit Caietanus, eo loco, & Sot. *libro*, de *inst.* q. 2. art. 1. circa argumentum. 3. Nauar. in *Manual*. cap. 12. nu. 43. Ait enim S. Thom. eum qui Virginitatem vouit, ea semel amissa adstringi ad Castitatem seruandam: quod non diceret proculdubio, nisi putaret, in voto Virginitatis contineri simpliciter votum Castitatis. Quare mea quidem sententia, votum Virginitatis accipere possumus simpliciter, & per se, & hoc continet votum Castitatis, & hoc est, quod voluit S. Thomas: aut accipimus iuxta mentem, & voluntatem vouentis, & hoc votum Virginitatis potest à voto Castitatis distinguui. Virgo enim potest virginitatem polliceri, in animo tantummodo habens sui corporis integritatem seruare, siue à primo venereo congressu abstinere: & nihil amplius. Et ideo supra diximus, virginitatis votum esse per se Romano Pontifici reseruatam, quoniam per se, & re ipsa, est idem, quod votum castitatis, licet ex accidenti, nimirum ex animo, & voluntate vouentis, possit esse votum non totius, & integræ Castitatis, sed partis duntaxat, hoc est, certæ cuiusdam continentie. Sic Caietanus ait. 2. 2. q. 88. art. 3. circa responsionem. S. Thomæ ad 2. & Nauar. in *Manual*. cap. 12. nu. 43. versic. Decimo quarto peccat.

## Caput XXII.

### De simplici Religionis voto.

Non est ignorandum simplex Religionis votum dupliciter fieri posse: Aut enim in futurum conferitur, ut cum quis vouet se Religiosæ vitæ institutum suscepturum: & huiusmodi votum Monachum, aut Religiosum non efficit, eo quòd solum sit futuræ Religionis sponso. Sicut enim cum Titius puellæ futuras nuptias pollicetur, non eo ipso, eam in matrimonium ducit: sic etiam cum quis Deo in Religionem se ingressurum promittit, non hoc ipso Religioni se tradit, ac mancipat. Aut votum Religionis in præsens confertur,

vt cum vouet quis Castitatem, paupertatem, & obedientiam in certa aliqua Religione, sed Religionis professionem nõ facit. Primum votum est Religionis futuræ promissio, secundum, eo quod in præsens, nõ in futurum confertur, est Religio- se vitæ præsentis sponso. In præsentia igitur so- lum agemus de primo Religionis voto, postea ve- rò de secundo.

Primo queritur, Quid facere debeat is, qui sim- plex Religionis votum emisit? Respondeo, aut is vouit Religionem in vniuersum, vel certæ alicuius Religionis institutum, vel in certum Religio- forum domicilium ingressum. Si primum, debet si in vna earum Religionum non admittitur, aliã adire: in quo nemo dissentit, vt docent S. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 3. ad 2. & q. 189. ar. 3. ad 2. Syluest. religio. 2. q. 15. Richard. 4. d. 38. ar. 8. q. 3. Angel. votum. 3. q. 10. Si verò certæ alicuius Religionis institutum vouerit, videlicet Dominicanorum, vel Franciscano- rum, illud solummodo petere, & amplecti debet; cuius si fuerit repulsam passus, voti vinculo li- ber, & solutus est, vt ait S. Tho. ibidem, & Syluest. lo- co citato, & Angel. similiter. In quo etiam omnes consentiunt. Si autem ingressum in certum Reli- giosorum domicilium Deo spopoderit, in illud non admissus, solutus est voto: quod expressim do- cent eum S. Thoma Sotus lib. 7. de insti. q. 2. art. 1. ad 3. item Nauar. in Manual. c. 12. nu. 48. Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 3. Syluest. religio. 2. q. 16. **QVAERES** si Titius Reli- gionem generatim vouerit, debet ne finitima tan- tum Religiosorum cœnobia adire, ac petere, vt admittatur, an verò etiã a lia extra Prouinciam, & regionem constituta. V. G. Hispanus quispiam, vel Gallus, vouit generaliter Religionem, nec ta- men Hispani, vel Galli Religiosi eum volunt ad- mittere. Queritur, an debeat Italiam adire, vt in aliquem Religiosorum conuentum admittatur? Nauarrus respondet in Man. cap. 12. nu. 48. & Consi. 2. nu. 3. de voto. Si Religionem vouit, & nihil expres- se, vel tacite, quod ad loca pertinet, restrinxit, à finitimis Religiosis non admissus, debet se ad re- motiores etiam externos conferre, si probabili- ter crediderit ab illis admittendum fore: quod si tacite solummodo vouit suæ regionis, Prouinciæ, nationis, vel lingue Religiosorum institutum vo- ti vinculo non cogitur externas nationes exqui- rere, ac pro se Nauarrus, Caietanum citat 2. 2. q. 88. ar. 3. §. in eadem responsione dubium occurrit.

Mihi verò probabilius videtur, quod tradide- runt Sot. lib. 7. de insti. q. 2. art. 1. ad 3. Syluest. Religio. 2. q. 16. Angel. votum. 3. q. 10. si is, qui vouit, in animo habuit se Deo obligare, vt ad Religionem etiã ex- tra suam Prouinciam sitas adiret, id præstare de- bet: ac si eius animus fuit, tantummodo obligare se, vt finitima Religiosorum domicilia, & Colle- gia perlustraret, non debet petere externa. Quod si dubitetur quæ nam fuerit eius mens, & volun- tas, solum debet finitima explorare, quia nihil de remotioribus extra Prouinciam sitis cogitauit; quæ si in memoriam venissent, probabiliter illa à voti obligatione exclusisset. Adde, quod fere v- lu venit, vt nemo voueat se ingressurum in Reli- giosorum ordinem, à sua Prouincia, & natione distantem: præsertim si foeminae sint, quæ vo- uent, aut ætatis teneræ, & delicatæ adolecentu- li. Postremo, quia aliqui totum Christia-

norum orbem quis perlustrare, & peragere de- beret.

Secundo queritur, Quot Religiosorum fami- lias is, qui vouit, explorare, aut cœnobia adire debeat, vt se ab eis admittendum curet? Respon- deo, si Religionem vouit generatim, satis est, si quinque, vel sex diuersi instituti ordines in sua Pro- uincia cõstitutos exquirat. Quod si certi institu- ti, nimirum Dominicani, vel Frãciscani Religi- onem voueat, sufficit, si quinque, vel sex Domini- canæ, vel Franciscanæ familiæ exploret domici- lia. Quod si in nullum Collegiũ recipiatur, pro- babiliter credere potest se à ceteris quoq; exclu- sum iri. Ita Sot. lib. 7. de insti. q. 2. ar. 1. ad 3. **QVAERES**, si Prouinciale, aut generalem Præpositũ adierit, nec ab eo in Religiosorum ordinem admittatur, solutus ne voto censetur? Nauarrus respondet Consi. 2. n. 3. de voto, eum minime à voti vinculo libe- rari, nisi Prouincialis, aut Generalis Præpositus præceperit Monasteriorum Præfectis, ne eum in suas familias cooptent. Id colligit, quia iure com- muni, Monachi admissio ad Præfectum cœnobiũ ex cõsensu totius Collegij pertinet: ergo nõ suffi- cit, si Prouincialis, aut Generalis Præpositus eum excludit, cum penes Monasteria sit admittendi li- berum ius, & potestas. Sotus tamen loco citato, infi- nuat, eiusmodi vouentem solum esse voto, si à Prouinciali, vel Generali Præposito fuerit repul- sus. Cum iure tamen, Nauarii sententia magis congruere videtur. Sotum autem de eo locutum existimo, qui à Prouinciali, vel Generali Præpo- sito repellitur, penes quos est totum ius admit- tendi, & creandi Monachos, siue Religiosos: aut in eo casu, quò Prouincialis, vel Generalis cœno- biorum Præfectus imperat, ne aliquos in Religi- onis ordinem recipiant.

Tertio queritur, Si is qui vouit Religionem in vniuersum, nullibi recipiatur? nunquid ratione voti ad aliquid faciendum compellitur? Innocen- tius in ca. porrectum, de regularibus, sensit teste Nauar- co in Man. cap. 12. nu. 48. eum debere se Episcopo of- ferre, vt ei subiectus iuxta id regulæ institutum viuat, quod ille prescripserit, vt quomodo potest, votum exsoluat, nec iure posse matrimonium con- trahere; quamuis si contrahat, sit matrimonium ratum, & firmum. Non fideliter retulit Nauarr. sent. Innocen. non enim Innocentius loquitur de eo, qui promittit futurum in religionem ingres- sum, vt putauit Nauarrus, sed de eo, qui in mani- bus, vt ait Innocentius, alicuius Clerici vouet ca- stitatem, paupertatem, & obedientiam perpetu- am, & non vouet certam aliquam religionis re- gulam approbatam. Idem etiam sensit Hostiensis in c. Porrectum, citato. Ceterum hæc etiam sententia communi consensu rejicitur, vt constat ex Anto- nio, & Abbate in eo cap. Porrectum, videlicet in hoc sensu, eum, qui ita vouerit, religiosum non fieri. Et multò minus, si solum vouerit futurum in re- ligationem ingressum: eo quod simplex votum fu- turæ Religionis in vniuersum quis tacita cõditio- ne facit, si alicubi in religiosorum ordinem reci- piatur. Deinde, in voto Religionis futuræ gene- ratim facto non continetur Castitas, aut obedi- tia, nisi impleta conditione, quæ tacite subest, i- cili- cet si vspiam admittatur.

Quarto queritur: Quid præstare debeat, si Ti- tius, aut.

tius, aut simpliciter in vniuersum Religionem, aut certi instituti regulam promiserit, an imo, & voluntate eam profitendi, & ad sacros Ordines conscendendi, & in Religionis Ordinem cooptetur, tanquam laicus, absq; vlla spe ad sacros Ordines ascendendi? **Respondet** Sotus loco citato: Si verè se voto Religionis adstrinxerit animo, & voluntate ad sacros Ordines perueniendi, cogendus non est Religionem suscipere, si tantum, vt laicus recipiatur in Ordinem, quoniam votum vltra uentis animum sese nequaquam extendit, ac fundit: locus verò est, si absolute, & simpliciter Religionem promiserit. **Sed**, quid si Religionem uouit, nihil prorsus cogitans, siue in Religionem Laicorum status distinctus, ab statu, vel gradu Sacerdotum: & non admittatur, nisi in gradum, & ordinem Laicorum? **Respondet**, distinguo oportere: aut enim ijs dotibus, & conditionibus præditus est, quales conueniunt ijs, qui tempore debito sacris Ordinibus initiantur. V. G. si iuuenis nobili genere natus, vel aliqua alia animi dote conspicuus, Dialecticæ, Philosophiæ, Rhetoricæ, Grammaticæ, aut aliarum liberalium artium peritus: & hic, si non admittatur, nisi tanquã Laicus, à voti vinculo liber est, quoniam probabiliter iudicari potest, si tale quid, dum uouit, ei in mentem uenisset, votum eum minimè fuisse facturum. Aut his omnibus conditionibus, quæ proximè memorauimus, caret, & sic voti lege, aut nexu tenetur, etiã admittatur tanquam Laicus, quoniam absolute, & simpliciter, futurum in Religionem ingressum promittit. Deinde quæres, si uouit credens se ad sacros Ordines promouendum, & nõ recipiatur in Religionem, vt qui nullam artem mechanicam calleat, eamne addiscere debet? **Respondet** cum Soto loco citato, ad hæc, & alia similis addiscenda, vi, & ratione voti minimè adstringi, si dum uouerit horum impedimentorum non meminerat.

**Quinto** queritur, Quid dicendum est, si Titius in certâ Religionis institutum futurum ingressum uouerit, & semel eam Religionem petens passus fuerit repulsam, & deinde Religiosi eum uolunt admittere, an voto teneatur? **Respondet** ita distinguendo: Aut quãdo petit certo aliquo ad tempus impedimento tenetur, quo minus admittatur, vt quia morbo laborat, & hic non est à voti vinculo solutus, ac liber, eum probabiliter uideatur exclusus ob solum impedimentum ad tempus: Aut nihil habet, quo impediatur, & hic semel repulsus non amplius voti vinculo tenetur obstrictus, cum ei satis sit, si quando petijt, admissus, & receptus non fuit, alioqui enim toto vitæ tempore anticipi, & suspensio animo teneretur.

**Sexto** queritur de eo, Qui uouit se ad Religionem relicto seculo transitorium, an vi voti non solum Religionem capessere, & se religiosi tyrocinij experimentis exercere cogatur, sed etiam debeat in Religionem perpetuo perleuerare, & in ea solemnem professionem emittere? **Respondet**, cum ad ingrediendum in Monasterium adstringi experiendumq; ac tentandum, siue in rem suam eiusmodi vitæ, an secus. Non autem vi voti compellitur perpetuo in Religionem perleuere. Sic S. Tho. 2.2. q. 189. a. 4. Richard. 4. dist. 38. a. 3. q. Sylu. religio. 2. q. 19. Ang. votum 3. q. 18. Nau. in Man. c. 12. n. 47. Sot. lib. 7. de iust. q. 2. a. 1. au 3. Palud. 4. dist. 38. q. 4. a. 1. conclus. 2.

**QVAERES**, quid sit dicendum, si promiserit Religionem ingressurum non voluntate perseverandi, nec eam profitendi, nec experiendi, expediat, ne sibi, an non; sed statim ab ea recedendi? **Respondet** cum Paludano 4. dist. 38. q. 4. art. 1. conclus. 1. Maiore 4. dist. 38. q. 2. §. Dubitatur. ad finem. Soto, Richard. Syluest. Angelo locis supra citatis: Huiusmodi votum posse dupliciter fieri: aut enim uouet quis se in Religionem ingressurum, & statim recessurum ab ea; & hoc votum vanum est, quia uouet exiturum se à Religionem: aut uouet se ingressurum, non tamen uouet se statim exiturum: habet tamè in animo à Religionem statim exire, & recedere: & hic teste S. Tho. 2.2. q. 189. art. 4. ad 3. votum non implet, si statim à Religionem recedat: sed vi voti facti debet voluntatem mutare, & experiri, num sibi religiose vitæ institutum conueniat. Sic etiam Richard. Syluest. Angelo locis supra citatis.

**SI QVAERAS**, An ista, & salua conscientia intra Monastica probationis tempus ad priorem vitæ statum redeat, eo quod sibi gratum non sit Monastica vitæ institutum? **Respondet**, id esse licitum facere, quæ fuit Nauarr. sententia loco citato: quamuis Caietanus 2.2. q. 189. art. 4. sentire uideatur, necessariam esse causam iustam, atq; legitimam, ob quam ipsi displiceat eiusmodi vitæ religiosa. Certè meo iudicio, si abique vlla causa recedat, peccatum quidem esse potest in eo, quod temerè, & quadã animi leuitate ab eo, quod coepit, vitæ instituto desistat, sed contra votum minimè delinquit, cum secundum iura, probationis tempus sit liberum.

**QVAERES** insuper, An si absque vllis probationis experimentis recedat, voto satisfaciatur? **Respondet**, vt dixi, minimè, quoniam vi voti antea facti experiri debet, an è re sua sit Religiosum institutum, quamuis nullo se voto obligauerit, quo debeat perseverare in Religionem, aut eam solemniter, & ceremonia profiteri. Ita Caietanus, & Syluester ex S. Thomâ.

**DE VYM QVAERES**, Quid amplius præstare debeat is, qui ex voto Religionis antea factio in eam ingreditur, quam qui ingreditur absq; vlllo Religionis voto? **Caietanus** loco citato, ait, primum illum vi, & ratione voti ad experiendum compelli, sibi ne Religiosa vitæ cõducatur, nec ipsi fas esse eam sine iusta causa deserere. **Alterum** verò nequaquam adstringi ad probationis experimenta, nec peccare saltem grauiter, si absque debita causa recesserit. **Sed videtur** mihi cõmodius responderi posse: Primum quoque, si intra probationis tempus, Monasticam vitam expertus ab ea defecerit ad priorem reuersus, contra votum non facere, si Religionis institutum minimè ipsi probetur, & satis esse, si sibi displiceat id vitæ genus, tanquam minus gratum sibi, vel tanquam in cõmodum, aut asperum, & durum, quamuis nulla alia iusta causa, & legitima moueatur, nisi simul etiam uouerit, non se ab incepta probatione recessurum absque iusta, & debita causa. Nam, vt colligitur ex cap. Ad Apostolicam. de regularibus. c. 1. & 2. de regularibus. in 6. annus probationis iure cõceditur, vt quis experiatur; ita tamen, vt sua sponte, & voluntate possit à Religionem recedere.

**Septimò** queritur, Quid sit dicendum, si Titius uouerit non solum se in Religionem ingressurum,

sed etiam

sed etiam futurum se Religiosum, an ingressus in eam, debeat solemnem professionem emittere. Caietanus 2.2. q. 189. artic. 4. plus a quo in hac quaestione distinguit. Aut enim, inquit, Titius vouet ingressum in Religionem, & sufficit, si ad tempus eam experiatur: Aut vouet sic, Religiosus efficiatur: & idem, inquit, iuris est in hoc, atque in illo, satis enim est, si Religionem exploret, ac probet. Aut vouet hunc in modum, Ero Religiosus, & hic ait Caietanus, Religionem profiteri debet: quoniam absque professione nemo Religiosus est. Ergo perinde est, ac si voueret sic, Religionem solemni voto profitebor. Sed verè Sotus lib. 7. de iust. quest. 2. art. 1. ad 3. dixit, distingui hæc quidem subtiliter, sed nõ bene. Quare idem est votum, Fiam Religiosus, quod, ero Religiosus: ac sufficit, si secundum iura probationis experimenta fecerit.

Octauo queritur, An si Titius vouerit se solemnem Religionis professionem emissurum, debeat profiteri, aut perseverare, an verò satis sit in eam ingredi, & experiri Monasticæ vitæ regulam, rationem, & formam? Duæ sunt opiniones: Prima docet eum solum adstringi ad sese in Monastica probatione exercendum, donec tandem didicerit sibi minimè congruere eam viuendi normam, & regulam. Ita Sotus loco citato, eo argumento ductus, quod quamuis Titius promiserit se perseveraturum, votum intelligi debet secundum Canones, & iura seruandum: at iura probationis tempus constituerunt; ergo Titius ad experimenta tantummodo probationis ipso iure compellitur. Secunda opinio tradit vi voti Titium obligari ad Religionem solemni voto profitendam, vel ad perseverandum in Religionem. Ita S. Thomas 2.2. q. 189. art. 4. Caiet. ibidem. Syluest. religio. 2. q. 19. Nauarr. in Man. c. 12. m. 43. quæ opinio est verissima: quoniam Titius duo promisit, nimirum ingressum in Religionem, & professionem, siue perseverantiam in ea, quod est idem; ergo non satis est, si alterum tantummodo præstet. Deinde, qui vouet se in Religionem perseveraturum, aut se in ea professionem emissurum, eo ipso cedit iuri, quod sibi Monastica probationis tempus concedit: nam iura, quæ id temporis tribuerunt, intelliguntur sub ea conditione tacita, si quis eo beneficio uti velit.

Nono queritur, Quid dicendum est, si Titius vouerit se ingressurum in Religionem, & culpa sua ei denegatur ingressus; quippe, qui aliquid fecerit eo animo, ut non admittatur, num voti obligatione teneatur? Respondeo, cum teneri, & suo voto minimè satisfacere, nisi absque dolo, & mendacio eam petierit diligenter. S I R O G E S, an voto Religionis adstrictus, cum eam petit, patefacere debeat se Deo Religionem vouisse? Respondeo, eum minimè ad id esse compellendum: satis est, si se admittendum curet, nõ solum vouit ingressum in Religionem, nec vnquam se id voti patefacturum promisit. Votum autè eiusmodi ita intelligitur, si me Religio velit admittere. Sed quid si in Religionem receptus, dum tanquam Nouitius probationis experimentis exercetur, sua quoque culpa excluditur, an voto suo satisfaciat? Respondeo, eum voto suo satis fecisse, quia tantummodo vi, & ratione voti cogitur in Religionem ingredi, & experiri, an ea sibi probetur, & placeat, an secus.

Decimo queritur, Quid dicendum est, si Titius

vouit sub disunctione se Franciscanorum institutum suscepturum, vel in certa hospitali domo egentibus inservitutum, an si ei denegetur in Franciscanam familiam ingressus, debeat in hospitali domo inservire? Respondeo, debere: quoniam qui duo disunctim promittit, debet alterutrum præstare. Cap. In alternatiuis, De regul. iuris in 6. habetur: In alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri. & l. In eo, quod plus est. ff. De regul. iuris, dicitur: Vbi verba coniuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. Veluti si quis promiserit dotem, vel æstimationem eius, satis est, si alterum præstet.

Vndecimo queritur, Quid dicendum est, cum Titius morbo laborans hæc verba ex animo protulit; Votum facio volendi Religionem ingredi, aut nolendi amplius extra Monasterium viuere, an voto teneatur? Respondeo, sicut aliud est in arborem ascendere, & aliud velle ascendere, vt docet Glossa in l. In vendendis, c. de contrahen. empt. & vendit. & aliud est vendere, aut donare, quam velle vendere, aut velle donare; aliud contrahere matrimonium, quam velle contrahere, vt annotatur in cap. Ex parte, de sponsalibus. Sic etiam aliud est vouere Religionem, atque velle vouere: sicut aliud est iurare, atque velle iurare: & in Sacerdote aliud est consecrare sanctissimum Christi corpus, aliud velle consecrare, aliud à peccatis absoluerè, aliud velle absoluerè. Vnde is, qui votum fecit volendi Religionem, nõ quidem vouit Religionem, sed vouit se aliquando in animo habiturum Religionem suscipere; & proinde, nisi eiusmodi votum commutandum, relaxandum, & curet, debet aliquando velle Religionem capeffere. Sed quid si ita promisit, voueo extra Monasterium non moriturum. Respondeo, tacite his verbis Religionis votum contineri; perindeque esse, ac si vouerit se Religiosum futurum.

Duodecimo queritur, An si Titius se suscepturum arctiorem Religionem vouerit, tuta conscientia laxiorem petat, & in eam ingrediatur? Respondeo ex communi sententia, quam habet S. Thomas 2.2. quest. 189. artic. 8. ad 3. & Angelus votum 3. q. 16. Syluest. votum 4. q. 3. dicto. 6. id eum facere iure non posse, nisi forte ea religio Pontificium naçta fuerit priuilegium, vt tali voto adstrictos possit admittere, quæ communis sententia colligitur ex cap. Qui post votum, de regularib. in 6. vbi dicitur: Qui post votum à se de certa Religione intranda emissum, Religionem aliam, etiam laxiorem ingrediatur, & profiteretur in ipsa, potest, voto nõ obstante priori, cui tanquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum, manere licet in eadem: pro voto tamen non completo erit eidem penitentia imponenda. Hæc ibi. Vbi duo dicuntur: Vnum, penitentiam esse ei imponendam, quia peccauit primo voto arctioris Religionis posthabito, laxiorem capeffens: quod quidem ea quoque ratione concluditur, quia minus præstat, ac soluit, quam promiserat. Alterum est, eum, qui arctiorem, & duriorum Religionem promiserat, si laxiorem solemni voto fuerit professus, voti primi vinculo liberari, ac solui; quoniam per professionem tradit se quis Religioni, ita vt in ipsam Religio sibi ius acquirat. Vnde quadiu laxiorem non profiteretur, debet se ad arctiorem cõferre. S I R O G E S, an si Religiosus religionem laxiorem professus voueat se transiturum ad arctiorem,

possit

Sic. Naua.  
conf. de  
voti.

possit Superior huiusmodi votū relaxare, quamvis nequeat irritum facere, vt supra iam dixi. **R**espondeo, posse, si iusta, & legitima causa subfit, quam semper requirit voti relaxatio, siue abolutio. Sotus lib. de iust. q. 4. art. 3. post conclus. 2. Syluest. votum 4. q. 3. dicto. 6. Paludani, & Antonini sententiam sequuntur.

**Q**VAERES: Quid si post votum simplex certae Religionis, in aliam aequē arctam se quispiam receperit? **R**espondeo, id etiam priuata auctoritate fieri non licet: at si in ea professio fiat, rata est & firma. **R**O GABIS etiam, an si vouerit quis nunquam se in arctiore religionem ingressurum, subsistat, ac valeat eiusmodi votum? **R**espondeo, minimē, quia melius, & maius impedit bonum. Præterea (vt habetur in l. que de tota. ff. de rei vendit. c. 1. ap. Pastoralis. §. Item si totum, De officio deleg.) Idem iuris est de parte, quod de toto: sed votum nunquam in religionem ingrediendi irritum est, & inane, ergo nec ratum est, nec firmum votū, quo quis pollicetur se nunquam suscepturum religionem arctiorem.

**D**EINDE QVAERES, quid dicendum sit, cum Titius vouit Dominicanum institutum, postea verò admissus est in aliud minus arctum, aut etiam aequē seuerum, & durum, putans bona fide id sibi licere facere; an debeat ad Dominicani instituti familiam, & Ordinem transire? **R**espondeo, debere, quamdiu minimē fuerit secundam religionem professus.

**Q**VAERES postremò, quid dicere oporteat, si Titius idem Dominicanum vouerit institutum, ea conditione, si literarum cognitionem, ac scientiam ad id sibi necessariam adeptus sit? **R**espondeo, cum votum sub conditione factum sit, ea impleta, promissum præstare debere: quando verò per ipsum non steterit, quo minus conditio impleatur, liber est, & solutus à voto. Vt si morbo præpeditus nihil operè, ac laboris in literarū studia conferre, aut si eas discere nequeat ob ingenij tarditatem.

**D**ecimotertiò quæritur, An qui nouit se ingressurum in religionem, si ante ingressum in eam, fuerit in Episcopū electus, prius ingredi debeat? Nonnulli sentiunt quidem, quod verum est, cum prius ingredi in religionem debere, vt votū persoluat; sed id probant rationibus infirmis, videlicet ex cap. Commissum, de sponsalib. vbi iuueni, qui nuptias puellæ promiserat, volenti se in religionem conferre, præcipitur, vt prius contrahat nuptias; & deinde si velit, ad religionem ascendat. Item, qui iurauit se soluturum vsuras, cogitur eas soluere prius; ac deinde conceditur eas repetere cum voluerit: ergo pari ratione, qui vouit religionem, & in Episcopū eligitur, debet prius promissum præstare: siquidem Monachus iam factus, iure ipso, potest ad Pontificiam prouehi dignitatem. Alij has rationes, & argumenta confutant. Primam enim iuuenis ille præcepto, ac iure compellebatur nuptias contrahere, quia nodum certò decreuerat se ad religionem recipere, & fides puellæ data vltra promissum tempus differebatur. Deinde, quod ad secundam attinet, vsuræ interposito iure iurando promissæ, solui debent, vt iura ipsa decernunt, quia iusturandum seruandum est, quando absq; vilo peccato præstari, & imple-

ri potest, quod iurando promissimus. At verò, qui religionem vouit, & in Episcopum electus, suum assensum accommodat, non videtur votum violare, si ad religionem non transeat, eo quod sit ad perfectiorem vitæ statum electus. Quidam alij dicunt, eum iure non cogi religionem capessere. Primò, quia Episcopus est in perfectiori vitæ statu, quam religiosus, nec licet alicui ab altiori vitæ statu descendere. Secundò, quia ob commune Christianorum bonum multi ex religiosis eliguntur, & creantur Episcopi. Tertiò, quia Episcopus suam Ecclesiam deserere iure non potest, vt se ad religionem conferat. Quartò, si quis post votum simplex religionis arctioris professionem faciat in religione laxiori, professio valet. cap. vbi post votum. De regularib. in 6. Ergo multo magis, qui post votum simplex religionis fit Episcopus, liber est, & solutus à voto. Sed dicendum est, eum electum Episcopum, votum suum implere debere; & proinde petere facultatem à Romano Pontifice, qua liceat ei religionem suscipere: sic enim definitum est in cap. Per tuas. de regularibus. Et Pontifex Romanus, vel facultatem concedet, vel eum retinebit, prout Ecclesiæ vtilius futurum esse iudicauerit. Argumenta verò opposita nihil conficiunt: quoniam licet Episcopatus sit altior, & perfectior, quam religionis status, non tamen pignat cum eo. Item, quamuis Episcopus sine Romani Pontificis consensu suam Ecclesiam deserere, & ad religionem transire non possit; id tamen potest facere ipsius Romani Pontificis permisso: quare vt suum votum impleat, debet Romanum Pontificem consulere, cuius erit, vel ei facultatem dare, qua suum votum præstet, vel eum à voti nexu, & vinculo soluere. *Doctores in cap. Per tuas, citato.*

### Caput XXIII.

#### De Religiosorum statu in vniuersum.

**V**T quæ de Voto coepi dicere, persequar, & omni ex parte institutam à me tractationem expediam, discutienda prius mihi hoc loco sunt, quæcunque ad Monachorum, Canonicorum Regularium, Religiosorum Mendicantium, & sanctimonialium foeminarum statum spectant: quæ item ad Castimonie votum, quod tacite faciunt ij, qui sacris iniciantur ordinibus, pertinent: & quæ attinent ad tria vota, quæ religiosi milites, solemnè ritu sacram militiam professi emittunt.

**P**rimò, illud in quæstionem venit, Quid nomine status hominum, siue personarum in Ecclesia significetur? Deinde, quæ, & quot, status ipse personarum deposcat, vt probè intelligatur, in quoniam vitæ statu Monachi, & Religiosi sint constituti: Quod ad primū attinet, Dux sunt opiniones, quarum vna tradit, statum hominum, seu personarum vi, & natura sua postulare firmam quandam, & immobilem obligationem ad aliqua vitæ opera, & munera exequenda. Ita S. Thomas 2. 2. q. 183. art. 1. Caiet. 2. 2. q. 184. artic. 4. Turrecrem. in sum. lib. 1. cap. 73. Sotus lib. de iust. 7. q. 5. art. 1. Vnde tres tantum S. Thomas personarum status in Ecclesia constituit; Episcoporum nempe, Religiosorum, & coniugum. Nam Episcopus immobili, ac solemnè vinculo, & nexu, Ordinis, consecrationis, ac mu-

neris,



operam, & studium in commune conferentium. Solent autem tria, huiusmodi studium, & conatū impedire. Rerum scilicet mundanarum immoderata cupiditas, Mollis sensuum libido, & Nihil propriæ voluntatis affectus: quibus malis grauius occurrimus per Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota, dum nos ipsi rebus omnibus abdicamus; à voluptatum illecebris sensus nostros coercemus; denique voluntatem nostram voluntati alienæ, & arbitrio subijcimus. Deinde, Religionis status, & vitæ cōditio, qua animi tranquillitas comparatur; qua itidem sese totum homo diuinis obsequijs addicit, ac mancipat. Sed tria sunt, quæ maximè mentem hominis vexant, turbant, & distrahant, nimirum facultatum, ac bonorum administratio: Vxoris, liberorum, ac familiæ gubernatio: & immodicus voluntatis appetitus: quæ tria prædictis tribus votis commode diriguntur, ac temperantur. Adde, quod Deo consecramus quicquid habemus, opes scilicet, sensuum voluptates, & propriæ voluntatis affectus. Vnde Christus paupertatem, & vitæ exemplum, & consilio docuit, cum dixit: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes. Castitatem monuit his verbis: Sani Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum celorum: postea subiungit ad eam veluti adhortans, & inuitans: Qui potest capere, capiat. Obedientiam verò insinuauit dicens: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Cæteræ Religiosæ vitæ asperitates, & obseruationes ad hæc tria vota, veluti ad tria capita reducuntur; nimirum, victus modicato quæsitus, labor manuum, vestitus vilis, & abiectus: cibibus, ac potus parcissimus ad paupertatem: vigiliæ autem, abstinentiæ, ieiunia, facci, cilicia, & corporis macerationes ad Castitatem: sacrarum literarum lectio assidua, preces, peregrinationes ad pia, & religiosa loca, & cætera misericordie, & charitatis in proximos officia, ad Obedientiam reuocantur.*

Quintò Queritur, An religio Romani Pontificis approbationem requirat? Quætionem mouet, quod ex Ecclesiasticis historijs constat, religiones vsu tantum fuisse approbatas. Nam in primis illis Ecclesiæ temporibus Monachorum instituta cœperunt; & tamen nulla Pontificia approbatione constabant. Respondeo, per se quidem, & ex natura rei, ad religionem opus non esse expressam Romani Pontificis approbationem, cum religiosæ vitæ ratio à Christo, vel ab Apostolis sit instituta, aut saltem exemplo Christi, Eliæ, Elisei, Ioannis Baptistæ, & Apostolorum fuerit à sanctissimis viris primum suscepta, deinde ab alijs frequentata, & culta. Christus enim in deserto, in solitudinem abditus, solitariam Monachorum vitam adumbravit. Elias in Carmeli montem sese recipiens, & Ioannes adhuc puer montana petens, Eremiticæ vitæ fundamenta iecerunt. Eliseus, & Propheta illi, qui in libris Regum dicitur filij Prophetarum, Apostoli, & primi eorum discipuli viam Cœnobitis aperuerunt. Tamen iure Canonico constitutum est, vt nulla hominum in commune viuientium congregatio, etiam tribus votis adstricta, pro religione habeatur, nisi Romani Pontificis auctoritate approbe- tur, vt constat ex cap. Ne nimia. De religiosis domibus, &

cap. Religionum. De relig. dom. in 6. Quod nouum videri non debet. Sicut enim Matrimonium Ecclesiæ minimè instituit; & tamen sancire potest, ne viri, & femine societas contracta, matrimonium sit, nisi certa quadam iuris solemniforma uata. Item, iure gèrium introducta sunt testamenta, legata, fideicommissa, cōtractus, pacta, & promissiones, & tamen ciuili iure definiti potest, ne rata, & firma habeantur, nisi certa iuris forma præscripta fiant. Sic etiam religiosæ vitæ rationem, & formam Christus, vel Apostoli, vel alij viri sancti, aut verbo, aut vitæ exēplo docuerunt: sed Ecclesiæ auctoritate decerni potest, vt religio non habeatur, nisi Romani Pontificis auctoritate, & testimonio confirmetur. In his enim prædictis ius scriptum, scilicet ciuile, aut Canonicum, potest aliquid amplius postulare, quàm quod ipsa simplex rei natura deposcit. Olim singuli Episcopi congregationes hominum religiosam vitam proficientium sua auctoritate approbant: sed ea approbatio in vniuersis Christianorum prouincijs vim, & locū iure habere non poterat: at Romani Pontificis auctoritas, qua religiosum aliquid institutum confirmat, & approbat, vbique iure ipso vim habet. Et ea hominum in commune religiosè viuientium congregatio, quam vt religionè approbat, pro religione in omnibus Christianorum prouincijs haberi iure debet.

Sextò Queritur, Quo modo olim religiosorum instituta confirmare Ecclesiæ confueuerit ante Romani Pontificis approbationem? Respondeo, publica Episcoporum auctoritate, aut communi vsu, & more. Nam, vt ex Ecclesiasticis constat historijs: Virgines, quæ sese Deo dicabant, ab Episcopo consecratæ velabantur. Vnde extat libellus Tertulliani, de uelandis Virginibus. Extat decretum antiquissimum Pij I. nimirum editum anno Domini 147. quod refertur in c. Virgines. 20. q. 1. de ritu, qui seruari debet in Virginibus Deo consecratis: quem ritum Ambrosius lib. 4. cap. 17. de institut. Virginis: & Eusebius in vita Constantini ad prima Ecclesiæ tempora referunt: quæ in manibus Episcoporum votis emissis sese Deo consecrabant, quorū consensu cœnobita erigebatur, auctoritate regerantur, magisterio ducebantur. Regulæ Monastici instituti editæ sunt à Basilio, Augustino, Pachomio, Benedicto: quæ publico Ecclesiæ more, & Episcoporum auctoritate primò sunt approbatæ; deinde Conciliorum decretis, & Romanorum Pontificum sanctionibus confirmatæ.

Porro in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. constitutum est id, quod habetur in cap. Ne nimia, De religiosis domibus, nimirum: Firmiter prohibemus, ne quis de cetero nouam religionem inueniat sed quicumque ad religionem conuerit uoluerit, vnam de approbatis assumat. Similiter qui uoluerit religiosam domum de nouo fundare, regulam, & institutionem accipiat de approbatis. Hæc ibi. Idcirco S. Dominicus, & S. Franciscus cum noua religionū instituta uellent suscipere, & condere, Romanum Pontificem adire, vt eius auctoritate approbarentur. Illis etiam temporibus Carmelitana familia, quæ per plures annos in Oriente floruerat, & ob impia Saracenorum Christiani nominis hostium bella ad Occidentem sese contulerat, ab Romanis Pontificibus approbationem studuit impetrare: eandē



pariter ab Innocentio III. adeptus est Augustinianorum Ordo: quoniam licet sub regula Augustini per multos ante annos plurimi vixerant, non omnes tamen vni Generali Præposito paruerat. Tunc autem omnes in vnum corpus cooptati, & electi, vnum sibi caput delegerunt. Quod factum idem Innocentius III. approbavit. In Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. decretum similiter est, *et referitur in c. Religionum. De religiosis domib. in 6. in hunc modum repetita Constitutio districtius inbibemus, ne aliquis de cetero nouum Ordinem, aut religionem inueniat, vel habitum nomen religionis assumat: Cunctas affatim religiones, & Ordines Mendicantes post dictum Concilium inuenios, qui nullam approbationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetua prohibitioni subiungimus, & quatenus processerant, reuocamus.* Hæc Concilium. Præterea in Hispania institutos esse militarium religionum Ordines ante Innocentium III. literis consignatum legimus. Nimirum S. Iacobi, Calatravae, Alcantarae, & primi earum religionum auctores, viri generosi, & nobiles, Romam venerunt, vt ab Romano Pontifice suorum Ordinum approbationem, & confirmationem acciperent, eamque ab Alexandro III. impetrarunt: quod probant diplomata Pontificia in ipsis Ordinibus hæcenus asseruata.

**Septimò Queritur, Qua de causa sancitum sit, ne noua religionum instituta in Ecclesiam inducantur sine Romani Pontificis auctoritate?** Respondetur, vt constat ex his, quæ Abbas Vuespergensis in Chronico anni 1212. tradidit (ex quo videtur accepisse Guido Carmelitani, Abbas Trichemius, & Paulus Aemilius) paulò ante tempora Innocentij III. fuere Vualenses hæretici, & quidam alij, qui sese Humiliatos nominabant. Hi omnes quoddam Monastici instituti genus professi fuerant: quos tamen Lucius III. tanquam hæreticos damnauerat, eo quod superstitiosis quibusdam ritibus, ac cæremonijs viderentur imbuti, videlicet illi Dei verbum in latibus, & occultis conuentibus plerumque seminabant: Ecclesiæ Dei, & Sacerdotio detrahebant. Et cum Pauperes Lugduno oriundi nihil proprium se possidere, nullum certum locum, vel sedem habere profiterentur, per vicos, & castella non sine offensione aliorum vagabantur. Tandem apud Romanum Pontificem vnâ cū Magistro suo Bernardo quodam Lugdunensi ciue contenderunt, vt eorum institutum eius auctoritate confirmaretur, ne, quam alij dicti Humiliati à Lucio III. damnationem pertulerant, ipsi quoque perferre cogentur. Cæterum Innocentius III. superstitiosa quædam dogmata istis hominibus obiecit, vt quod calceos desuper præcidebant, & tamen singebant se nudis pedibus incedere. Et cum certas quasdam cappas religionis causa deferrent, comam minimè tondebant. Viri, & mulieres simul per vias ambulabāt, & plerumque in eodem domicilio commorabatur; imò in eisdem lectulis quiescebant interdum: quæ omnia asserabant se ab Apostolis accepisse. Et quod à Romano Pontifice sui instituti confirmationem sæpenumero petitam impetrare nequiverant, Ichisma in Ecclesiam inuexerunt, ac tandem in hæresim prolapsi sunt. Hæc ferme omnia Abbas Vuespergen-

sis. Ex quibus elicio, ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi idcirco fuisse decretum, ne quis nouæ Religionis institutum fundaret.

**Quæres, quo pacto intelligatur, quod prohiberetur idem Pontifex, cum ait: Ne quis de cetero nouam Religionem inueniat?** nam si est Religio, approbationem Pontificiam habet, & inuentor, tanquam præcepti violati reus condemnari non potest: si non habet, Religio non est; ac proinde nullus est Religionis inuentor. Caietanus hoc argumentum proposuit 22. q. 188. art. 1. nec satis plene dissoluit. Dicendum est breuiter cum Glossa in c. Ne nimia, de religiosis domib. Religionem hic appellari eam, qua multi in commune viuunt votis adstricti, & vni tanquam capite, & magistro subiecti sub certa vitæ regula noua, nulloque Ecclesiæ testimonio comprobata.

**Octauò Queritur, quo primum tempore Religiosorum institutum, regula, & vita cœperint in Ecclesiâ?** Hæretici contendunt Constantini Magni temporibus orta fuisse, quo sæculo vixere Antonius, Amon, Serapion, Euagrius, Malchus, Hilarion, Macarius, Pachomius, & alij in Aegypto, Libya, & Palæstina: & Basilium fertur Regulam Monachis scripsisse, & deinde Augustinus Eremitis: & propterea, Athanasius, Dorothæus, Hieronymus, Theodoretus, & Palladius Monachorum vitas nobis consignatas literis reliquerunt: Sicut Cassianus multa de institutis Monachorum memorie prodidit. Quidam Catholicorum censent Religiosæ vitæ formulam adumbratam fuisse in Enos, de quo sacra litera tradiderunt: *Is est caput in uocare nomen Domini*; hoc est, vt ipsi interprecantur, cœpit religiosè, & inculpate viuere. Quæuis mihi simplicior eius loci sensus esse videatur: Cum cæteri homines à vero Dei cultu per Maiores accepto defecissent, hic primus adhibito studio, & diligentia auitam in Deum pietatem, & religionem reuocauit, restituit, atque conseruauit; & cæpalam, & publicè studuit retinere. Hebræi tamen verbi ambiguitate permoti, sic interpretantur. *Tunc caput est nomen Dei violari, & palli, quoniam Idola, & simulacra, tanquam diuinitatis aliquid habentia coli cœperunt, ac proinde Dei nomine appellari.* Vnde paraphrasis Chaldaica vertit.

*Tunc cœperunt filij hominum inuocare in nomine Domini.* Alij adumbratam esse Religiosorum vitam in Nazaræis testantur, qui voto ad tempus obstricti, seuerioris, ac durioris vitæ genus profitebantur, de quibus Scriptura tractat Nu. 6. Hieronymus epist. 4. epist. 13. eam vitæ rationem ad Eliam, Eliaû, & filios Prophetarum refert; & alio loco in epist. ad Eusebium de Virginitate scribit: Paulum fuisse primum Eremitam. Nazianzenus in orat. in S. Basilium, Chrysost. homil. 1. in Marcum. Cassian. collat. 18. cap. 6. Sezom. lib. 1. hist. cap. 12. Isidor. lib. 2. de diuin. offic. cap. 15, & alij magni viri Ioannem Baptistam tanquam Eremiticæ, ac solitariae vitæ principem, ac parentem celebrant. Alij rursum, cœpisse à Marco Euangelista vitam Monasticam in Aegypto cômemorant, sub quo Christiani, testibus Eusebio lib. 2. histor. Eccles. c. 17. & Hieron. de Eccles. scriptor. in vita Marci, Monasticam, & Religiosam vitam piè, & studiosè colebant. Alij totam hanc viuendi rationem ad Christum Dominum referunt, qui adolefcenti consilium dedit: *Si vis, inquit, perfectus esse, uade,*

et eade

vende omnia que habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Alij demum ad Apostolos trahunt, quos aiunt vota Religiosorum emisisse; & idcirco nomine omnium Petrum Christo dixisse: *Eccc nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Apostoli, inquit, S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. intelliguntur vouisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relicto omnibus sunt secuti. Quod votum fecisse Apostolos docet Augustinus lib. de ciuit. 17. c. 4. & probat Vvalden lib. de Sacramentalib. tit. 9. c. 33. Profecto quicquid Hæretici calumniantur, negandum non est, Eliæ, Elisæi, Prophetarum, & Ioannis Baptistæ exemplo Religiosam vitam cœpisse, in ipsaque fuisse aliquatenus adumbratam. Deinde Christus Dominus consilium dedisse aperte videtur Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, vt ex testimonijs, quæ supra ex Matthæo retulimus, perspicuum esse potest. Ex Cypriani titide, & Tertulliani scriptis manifestè colligitur Virgines sese Deo dicare consueuisse. Dionysius etiam in lib. Ecclesiast. Hierarch. c. 6. & 10. apertam facit, & honorificam Monastici instituti mentionem. Nec est, quod hæretici, vnà cum Valla, & Erasmo nobis obijciant, illius libri auctorem non fuisse Dionysium Areopagitam Pauli Apostoli discipulum, sed aliud quendam Dionysium: hoc ipsi fingunt, non probant; & saltem quisquis ille fuerit, perantiquus auctor habetur, & Apostolorum temporibus videtur fuisse vicinus. Neque verò negari potest, Eliam, Elisæum, Ioannem Baptistam, Christum Dominum, Apostolos, & eorum discipulos religiosæ vitæ fundamenta iecisse; cum Elias montana Carmeli petierit, & ibi vitam duxerit à caterorum hominum conuictu, & habitatione semotus. Monastici quoque instituti exemplum reliquit Elisæus, nã Cœnobiticæ vitæ vestigia posuit, Prophetarum cœtus instituens quasi communem vitam agentium, qui filij, Prophetarum, & Prophetæ in scripturis vocantur: filij, in quâ, id est, discipuli instar filiorum à Prophetis edociti: Prophetæ verò, id est, more Prophetarum diuinas laudes concinentes, Dei arcana, & occulta mysteria enarrantes, quasi quidam diuinorum oraculorum nunciij, & interpretes. Ioannes Baptista in Eremum, & solitudinem secedens, & durioris, asperiorisque genus vitæ secutus, quasi Monachus quidam vitam duxisse censetur; & idcirco à Chrysothomo, Hieronymo, & alijs Patribus locis citatis, Monachorum princeps appellatur. Christus verò manifesta Religiosæ vitæ fundamenta constituit. Nam in desertum secessit, & in eo ad tempus commoratus, ieiunij, & inedia nobis exemplum reliquit; & deinde per totum vitæ cursum, & verbis, & factis paupertatem, Castitatem, & Obedientiam edocuit. Apostoli relicto omnibus secuti sunt Dominum, in quibus etiam Religiosæ vitæ status non obscure est adumbratus: quibus succelsere eorum discipuli, quorum vt in Actis Apostolorum refertur, *Erant cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, que possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Neque quisquam egenus erat inter illos. Quocirca enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferbant prelia eorum, que vendebant, ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Hæc ibi. Quæ viuendi ratio veluti quidam cœnobiticæ vitæ typus, &

figura fuit. Nec est, cur hæretici nobis opponant, in ijs omnibus locis nullam fieri trium votorum mentionem. Nos enim contra eos nunc nõ conamur ostendere Religiosæ vitæ formam omni ex parte perfectam, qualis nunc est, in Eliâ, Elisæo, Prophetis, Ioanne Baptistâ, ac primis Apostolorum discipulis præcellisse: sed tantum magna ex parte fuisse adumbratam, ac veluti delineatam in his, quæ pertinent ad cibum, & potum, vestitum, habitationem, & vitæ cultum, Paupertatem, Obedientiam, & Castitatem. Præsertim cum Augustinus, vt dixi, aperte dicat Apostolos vouisse. Quare verissime dixit S. Thomas 2. 2. quest. 188. art. 7. omnis Religio à Discipulis Christi sumpsit originem exemplo magistri. Et ita legimus, in Aethiopia Regis filiam esse à Matthæo Domino consecratam. Theclam à Paulo in Græcia, Romæ Domicillam à Clemente, in Gallia Martham post promulgatum Missiliæ Euangelium cœnobjum extruxisse: vbi cum alijs sœminis Deo dicatis religiosè vixit. Et Dionysius Epistolam scripsit ad Demophilum Monachum.

## Caput XXIV.

## Qualisnam sit Religiosæ vitæ status.

**P**rimò queritur, An religiosæ vitæ conditio, sit status perfectionis? Respondit S. Thomas 2. 2. q. 86. art. 1. cuius sententia communi consensu est recepta, esse. *Norandum* porro est, tunc esse re perfectam, quando cum suo fine arte coniungitur, in eoque cõquiescit: quare tunc homo est perfectus, quando cum Deo vinculo charitatis arctissimo copulatur. Potest autem cum Deo quifque sociari, & in hac vita, & in futura: & propterea duplex est hominis perfectio: Vna, quâ in hac vita coniequi non potest, cum sit alterius vitæ, videlicet cœlestis, propria, vbi cum Deo homo coniungitur, quâ arctissime potest: ita vt semper claro, & iucundissimo eius aspectu, & amore suavissimo perfruatur. Hęc perfectio in perpetua Dei charitate consistit, quæ non solum omnem peccati, tum leuis, tum grauis voluntatem excludit, sed etiam in Dei amore semper hæret, & acquiescit. Altera hominis perfectio est, ad quam Dei beneficio in hac vita possumus peruenire: & hæc duplex quoque est: Vna, quæ sufficit ad vitam sempiternam consequendam, & hæc in Dei amore potissimum: deinde etiã in Proximi dilectione consistit. Est enim dilectio Proximi plenitudo legis, teste Apostolo: Est item charitas vinculum perfectionis, hoc est, nexus quidam, qui nos cum Deo perfecte consociat, vt Chrysothomus interpretatur *homil. 8. in epist. ad Coloss. 3.* & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hęc itaque hominis perfectio posita est in Dei charitate, quæ omnem peccati lethalis voluntatem depellit, & vniuersam legem præstat, ac implet. Ipsa quidem Dei dilectio est vitæ Christianæ perfectio: sed diuinæ legis obseruationem postulat, quæ quicquid est charitati cõtrarium respuit, submouet, expellit, & eijcit: & hæc perfectio potest esse omnium hominum cõmunis. Altera est perfectio, quæ non solum in qualicumque charitate consistit, sed in ea,

Rom. 13.  
Coloss. 3.

quæ consilia Evangelica obseruanda, & implenda curat. Et idcirco, qui virginitatem seruat, ac retinet, qui Castitatem, Obedientiam, Paupertatem ac studiosè, & diligenter sectatur, & colit, merito dicitur esse perfectionis studiosus: hæc enim vitæ ratio comparatione prioris propriè dicitur Christiani hominis perfectionem prior illa, ut potè omnium communis, non solet propriè dici vitæ perfectio. Et hoc modo sumitur perfectio, cum de aliqua vitæ Christianæ conditione quærimus, an ea sit perfectionis status, quo nimirum plenæ charitatis officium doceatur, vel addiscatur.

Ex quo intelligitur, Religiosorum statum, esse perfectionis; quoniam, ut capite præcedenti iam dixi, status hominum, est quædam vitæ conditio firma, & immobilis ad aliqua officia, & opera facienda: sed Religiosi tribus votis adstricti, & diuina mandata obseruanda curant, & paupertatem, Castitatem, & Obedientiam perpetuam profitentur: Ergo hoc ipso perfectæ vitæ institutum suscipiunt. At, inquit: Ergo si qui nulla Religionis regula adstricti eiusmodi vota seruent, & colant, erunt quoque illi in statu perfectionis. Respondeo, eos perfectionis studiosos esse quidem, quod ad eorum personam atinet, sed in statu perfectionis minimè constitutos, eo quod non certum quoddam, ac peculiare vitæ genus profitentur, quod tria illa, quæ diximus, firmo voti vinculo amplexatur.

Quæres, an omnis, qui est perfectus, nimirum charitate præditus, eo ipso sit in statu perfectionis: & è contrario, qui est in statu perfectionis, sit perfectus, hoc est, charitatis composus. Respondeo, minimè, quoniam in præsentī perfectionis Christianæ vitæ non dicitur ea, quæ in sola præceptorum obseruatione consistit, ad quæ profani etiâ homines aspirare, & peruenire possunt, & quæ Monachi, & Religiosi carere queunt: sed quæ consiliorum obseruantiam colit, suscipit, & tenet. Vnde fit, ut Religiosus, quamuis charitatis sit expertus, in statu tamen perfectionis esse verè dicatur, quia tribus votis obstrictus, & aliorum consiliorum obseruationi diligenter intentus, vitæ perfectioni studet. Porro, qui Religiosus non est, licet consilia implenda curet, & sese Deo votis obliget, ad statum perfectionis non transit, quoniam vitæ genus non mutat, quo perfectionis studium profiteatur. Quare Abbas Moyses rectè dixit, teste Cassiano collat. l. c. 7. *Ieiunia, vigilie, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt.* Similiter Episcopus licet charitate careat, & consilia non seruet, in statu tamen perfectionis est, nimirum docendæ. Est enim ratione sui muneris, quo fungitur, vitæ perfectæ magister, institutor, præceptor, & Doctor.

Secundò Quæritur, An status Episcoporum sit perfectior statu Religiosorum? Respondet S. Thomas 2. 2. q. 184. ar. 7. esse perfectiorem. Quod ratio ipsa concludit. Sicut enim (teste Dionysio) in celesti hierarchia, c. 5. Angeli alij alijs sunt perfectiores, quia nimirum alij alios illuminant, purgant, & perficiunt: sic in Ecclesiastica hierarchia, Episcopi sunt cæteris perfectiores, quoniam eorum est illuminare reliquos, purgare, atque perficere. De-

inde, Religiosi id vitæ genus suscipiunt, quod perfectioni comparandæ, sedulo, & diligenter studet: at verò Episcoporum munus est Christianæ vitæ perfectionem docere. Vnde Episcopi sunt perfectæ vitæ magistri, doctores, & duces. At plus est perfectionem docere, quam studere perfectioni acquirendæ, quod est Religiosi instituti proprium. Episcoporum igitur munus est quoddam vitæ perfectæ magisterium. Religiosorum Ordines sunt discendæ perfectionis scholæ. Religiosus suo muneri, & officio satisficit, si vitæ perfectionem discat, si ad eam aspiret, si ei studeat. Episcopus suum munus non explet, nisi perfectionem vitæ doceat, ac tradat.

Ex his S. Thomas deducit 2. 2. q. 184. ar. 5. duplicem esse in hac vitæ perfectionis statum, vnum Episcoporum, alterum Religiosorum: illum esse statum perfectionis docendæ, hunc addiscendæ, & comparandæ: illum docentium, hunc addiscendum: illum quasi ducum ad victoriam hortantium, hunc militum pro victoria pugnantium. Non quod Episcopi sint perfecti ea perfectione, quæ in præceptorum obseruatione posita est, sed quod eam prouinciam suscipiant, quæ studium, & curam conferre ad eam vitæ perfectionem docendam, quæ non solum præcepta, sed etiam consilia obseruare contendit. Hinc fit, ut quamuis ipsi præditi charitate non sint; in statu tamen perfectionis constituti dicantur, quia Ecclesiæ, cui præsentur, sunt obligati ad eam illuminandam purgandam, atque perficiendam. Ergo si suo ritè munere fungi velint, coguntur perfectionem docere: sicut etiam Religiosi, licet per peccatum à charitate decidant, in statu tamen perfectionis sunt, quoniam vitæ genus consecratur tribus votis adstrictum, quibus consilia Evangelica profitentur, & proinde ad perfectionem aspirant, licet eam nondum sint assecuti, procedunt, in dies progrediuntur, quamuis nondum peruenerint, nondum perfectionem attingerint, nondum apprehenderit: ei student, licet eam nondum comparauerint. Et quamuis charitatem magnam non omnes consequantur, in statu nihilominus perfectionis esse dicuntur, quia ex suæ vitæ instituto consilia Evangelica profitentur, in his se exercēt, ut ad omnium tum consiliorum, tum præceptorum obseruationem, quoad fieri potest, recta perueniant. Et paulo ante dixi, perfectio Christianæ vitæ in præsentia non intelligitur ea charitas, quæ cum sola præceptorum obseruatione coniungitur, & quæ potest esse omnium communis, sed quæ in Evangelicis consilijs obseruandis consistit. Quare Religio est quædam virtutum palestra, penitentia gymnasium, charitatis schola perfectæ vitæ instrumentum, diuinorum consiliorum exercitatio, & disciplina morum, quibus Religiosus enititur, & contendit, quàm maximè potest, ut perfectam omnium consiliorum obseruationem attingat, quamuis ad eam non perueniat. Quare Basilius merito vitam Monasticam Asceticam vocauit, hoc est, exercitationi rerum diuinarum, & spiritualium addictam.

Tertio quæritur, an status Clericorum non quidem omnium in vniuersum, sed eorum, quibus animorum cura committitur, sit Religiosorum statu perfectior? Duæ sunt opiniones. Nam

S. Thomas 2. 2. *quest.* 184. *art.* 6. & 8. docet Religioforum statum esse perfectiorem: quod ille ex eo colligit, quia è statu Clericorum ad Religioforum liber transitus ipso iure conceditur; qui tamen Episcopis denegatur. Vnde in *cap. Clerici.* 19. q. 1. dicitur: Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopis in Monasteria largiri oportet ingressus, nec interdicti propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. Sic ibi.

At verò Henricus quodlib. 12. *quest.* 29. & Maior. 4. d. 38. *quest.* 7. conantur ostendere, perfectiorem esse statum Clericorum animarum curam habentium, quod probant: eorum quippe munus est illuminare, purgare, & perficere eos, quorum sunt curæ præfecti. Deinde, quia sicut Episcopi sunt Religiosis perfectiores, eo quod perfectionis duces sunt, & magistri; ita tales quoque sunt Clerici, quibus est animarum curatio demadata. Item, quia Episcopus à Presbytero nõ differt, nisi quod maiori Ecclesie præest, & plura Sacramenta cõfert: Quod autem plures vnus, pauciores alius gubernet, ac regat, vitæ statum, aut conditionem non mutat. Ergo sicut Episcopus, ita etiam Presbyter est Religioso perfectior. Nec obstat, inquit, quod canones, & iura Clericis liberam facultatem concedant ad Religionem transseundi: hoc enim ideo constitutum est, quod is vitæ status sit tutior, expeditior, seuerior, aperi-or, & arctior; non autem quod sanctior sit, atque perfectior. Qui verò S. Thomæ sententiam tuerentur, aiunt Episcoporum statum, ideo esse Religioforum statum perfectiorem, quia ratione muneris, quo funguntur Episcopi, ouium sibi creditarum curæ inuigilant, Dei verbum annunciant, & plebem sibi commissam salutari Sacramentorum alimento pascunt, ac nutriunt. Presbyteri verò sunt tantummodo Episcoporum administri, socij, adiutoresque.

Quicquid sit de hac re, negari non potest à Christo Domino Episcoporum, & Presbyterorum statum, ministerium, & munus institutum fuisse, & vt ait Anacletus, & refertur in *cap. In nouo. distinct.* 21. Episcopi Apostolis successerunt, Presbyteri verò septuaginta Discipulis. Item ex *cap. Hoc nequaquam.* 7. *quest.* 1. colligitur Monachorum instituta ad obedientiam, & disciplinam, non ad magistrerij, & præfecturam rationem pertinere. Deinde, Monachos esse ex eorum numero, qui non alios pascere, sed pasci debeant. Quocirca, qui in pastorem, & Antistitum numero censentur, in Monachorum loca se transferre iure non possunt. Et ex *cap. Admonere.* 33. *quest.* 2. Aistulpho cuidam, qui vxorem suam inter fecerat, cõsiliu datur, vt relictis omnibus sese in Monachorum domiciliu conferat poenitentiam agendæ gratia, eo quod Monasteriu sit quædam poenitentiam schola: Et Clerici olim ob certa quædam crimina in Monasteria detrudebantur, vt sese Abbatibus imperio subijcerent, & delicta, quæ admiserant, debita poenitentia expiarent.

Quare Presbyter, cui animarum cura conceditur, simplici Monacho ordinis gradu, auctoritate, potestate, administratione, & munere maiore est. At Monachus tribus votis adstrictus, & vitæ perfectæ studiosus potioris est conditionis;

quippe, qui tutior, & pluribus sanctitatis acquirendæ prædijs instructus est. Ex quo fit, vt Presbyter iure possit ad Monasticam vitam gradum facere, nimirum, vt se ipsum seruet à malis: & è contrario, si plebs curatione indigeret, ei Monachus possit Romani Pontificis auctoritate præfici, vt eam doceat, & pascat, & communem aliorum salutem priuatis commodis anteponat. Monachorum itaque status tutior est, expeditior, seuerior, arctior, quam Presbyterorũ. Vnde S. Gregorius, vt citat Anselmus in *epist.* ad Goffredum Episcopum Parisiensem, Desiderium Episcopum, qui Diaconum retinebat, quo minus ad Monasticam vitam se liberè conferret, sic admonet: *Hortamur, vt tam promptæ deuotioni eius, quam in sancto studet habere proposita, minime vestra sit impedimento fraternitas; magis autem, quibus valetis adhortationibus, pastorali admonitione succendite, vt feruor huius desiderij in eo non tepescat, vt qui turbulento secularium turbationum tumultu se segregans quietis desiderio, monasterij portum appetit, rursus in Ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari, sed in Dei laudibus permittatur, securè ab ijs omnibus remanere, vt postulat.* Hæc S. Gregorius lib. 10. *Registrj Epist.* 40. vbi Monasticam vitam portum appellat, quietum, ac tutum. Clericorum verò statum, turbulentum, perturbationibus obiectum, & secularium curarum tumultibus implicatum. Anselmus quoque in *epist.* ad Goffridum Parisiensem Episcopum, leniter quidem, sed prudenter eum accusat, quod Clericum ad Religiosam vitam aspirantem impediret, idque ab eo, nec ratione, nec consilio fieri, pluribus argumentis conuincit, vbi inter alia dicit: *Horrendum est auditu, vt quod Christus elegit de mundo, Episcopus religeret in mundo: vt quod Christus traha ad portum de procellis, & tempestatibus mundi, hoc Episcopus retrahat à portu, & exponat multitudini inporum.* sic B. Anselmus. In *Concil. Tolet.* 4. *can.* 49. dicitur: Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab Episcopo, in monasteria dari oportet ingressus, nec interdicti propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. Hæc ibi. Quis enumeret eos, qui se è Clericorum statu ad Monasticum iugum alacriter contulerunt, vt sese in loco tuto collocarent? Nonne legimus quoque fuisse quâ plurimos; qui Ecclesiasticos honores etiã vltro delatos tam constanter, & fortiter repudiarunt, ne à Religiosæ vitæ instituto auocarentur, vt mirabile posteris virtutis documentu tradiderint? Bernardus à tribus opulentis ciuitatibus in Episcopum, à duabus in Archiepiscopu electus, nunquam adduci potuit, vt eam dignitatem admitteret. B. Dominicus quatuor Episcopatus vario tempore oblatos recusauit. S. Thomas Neapolitanâ Sedem Pontificiam à Clemente III. oblatam reiecit. Vincentius Ferrerius Episcopatum Illerdensem, & Valentinam Cathedram Pontificiam, imò etiam Cardinalatum diuerso tempore sibi delatum inuicta virtute repudiauit. Similem animum præstitit S. Bernardinus Senensis, qui à tribus populis, Senens, Vrbinate, Ferrariensi postulatus, nulli vnquam assensit. Idem quoque fecerunt multi alij. Itè alij reluctantes, è Monasterijs, siue Cœnobijs educti, similes dignitates accipere coacti sunt, vt S. Martinus Turonensis

De Arche-  
bio Cassia.  
collat. 11.  
c. 2.

Episcopus, Fulgentius Episcopus, Ruspenfis, Anselmus Cantuariensis, Antoninus Florentinus Archiepiscopus, Malachias, Archebius, Albertus Magnus, & alij non pauci.

Quartò Quæritur, Vndenam sit Religioforum diuersitas? Respondet S. Thom. 2. 2. q. 188. ar. 1. Religionum esse diuersa instituta, aut ex Regula, aut ex Constitutionibus Regulæ adiunctis. Aliæ enim S. Basilij, aliæ S. Benedicti, aliæ S. Augustini, aut S. Francisci Regulam seruant. Aliæ rursus licet vnam, & eandem vitæ Regulam teneant; varijs tamen constitutionibus discernuntur, Dominicani, Canonici Regulares, Eremitæ Augustiniani, Præmonstratenses, sub vna S. Augustini Regula militant, ac diuersis omnino Constitutionibus gubernantur: & hinc fit, vt alij Religioforum Ordines sint ex Regula Mendicantes; Alij non ex Regula, sed ex Constitutionibus. Franciscani etenim ex Regula à S. Francisco instituta, Mendicantes sunt: Dominicani, Carmelitani, Augustiniani, non ex Regula, sed ex Constitutionibus. Regula enim S. Augustini, & S. Basilij, sub qua militant, possessiones in commune habere permittit. Quare licet omnes Religiones eo tendant, vt vitæ Christianæ perfectionem acquirant, ac comparent; varijs tamen modis, & rationibus vtuntur ad eam assequendam. Ita factum est, vt aliæ sint instituta ad ægrotos subleuandos, aliæ ad redimendos captiuos, aliæ ad peregrinos hospitio recipiendos, aliæ ad pugnandum contra hostes pro fide, & religione Christiana.

Tota hæc porrò Religionum diuersitas potest commodè ad quatuor capita reuocari. Aut enim sunt Monastica Religiones ad vitam solitariam, & ad contemplandum fundatæ: quales nimirum instituere S. Benedictus, Basilius, Pachomius, Antonius. Aut sunt Canonicorum Regularium Ordines, quorum est in Choro diuinas laudes præ, & religiosè cantare. Aut sunt Religioforum Ordines, qui mendicato viuunt ex Regula, vel Constitutionibus, ad docendos alios instituti: cuiusmodi sunt Ordines Mendicantium: Aut contra hostes sanctæ fidei, & religionis Christianæ decertant, quales sunt militares Ordines. Aut sese exercent in alijs misericordie operibus, & officijs, redimendo captiuos, excipiendo peregrinos, inseruendo egenis, & ægrotis. Obijcies, quod habetur in c. Religionum, de Religiosis domib. in 6. vbi reprehendi videtur Religionum diuersitas. Primò, quod nimia sit, vnde cõfusio oriatur. Deinde, quod generale Lateranense Concil. Religionum multitudinẽ maturo consilio vetuerit. Præterea, quod importuna petentium inhiatio earum multitudinem extorserit. Postremò, quod quorundam temeritas diuersorum Ordinum Mendicantium immoderatam numerum inuenerit. Respondet, ibi reprehendi Religionum, quæ approbatæ non sunt, multitudinem, non autem eorum Ordinum Religioforum, quos Romani Pontificis confirmavit auctoritas. Et ideo in cap. Ne nimis, de Religiosis domibus, ex Concil. Lateranen. sub Innocentio III. sancitum est, ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat, sed vnam de approbatis assumat.

Quintò Quæritur, Religionum quænam sit alia perfectior, & altior? Respondet S. Thom. 2. 2. quest. 188. ar. 6. vnam esse perfectiorem alia dupliciter, aut ratione finis, aut ratione eorum, quibus vtitur ad finem assequendum. Ratione quidem finis, quia potior sibi finem propositum habet, aut quia ad plures bonos fines referatur. Ratione verò eorum, quibus vtitur tanquam instrumentis, aut quia ea meliora adhibet, aut quia plura. Rursus ait: Non hoc ipso, quod arctius est Religionis institutum, hoc est, seuerius, & durius, est sanctius, atque perfectius. Sed illud est perfectius, quod per aptiora instrumenta, atque præsidia ad propositum sibi finem assequendum procedit. Exempli gratia: Asperior est corporis nuditas, labor assiduus, quam ieiunia: Ad Castitatem verò comparandam, ac tueodam, magis aptum, & idoneum est ieiunium, & maceratio corporis, quæ libidinis incendia temperant, & extinguunt, quam subtractio vestium, & corporis nuditas. Sic etiã ad contemplandũ magis accommodata est oratio, quam lectio, & fortassis aliquando laboriosior est lectio, quam oratio. Similiter ad studia literaria aptior est paupertas, qua nihil proprium, nisi communiter possidetur, quam ea, quæ omnia prorsus etiam in commune abijcit: & tamen hæc illa est arctior, & seuerior. Quis dubitet, aliquos Monasticos Ordines arctioris, & durioris esse vitæ, quam Mendicantium, & tamen Mendicantium Ordines ad docendum fundati, & erecti perfectius, & altius vitæ genus profitentur? Quocirca si duo, pluræ Religionum instituta ad eundem finem dirigantur, id erit perfectius, & altius, non quod arctius, & durius, sed quod aptioribus vtitur præsidijs ad finem illum assequendum. Hæc ferè ex Sancti Thomæ doctrina.

Sextò Quæritur, An ea Religio primum perfectionis locum, & gradum teneat, quæ ad docendum, & Dei verbum promulgandum est instituta? S. Thomas 2. 2. q. 188. ar. 6. Primo in loco constituit eam Religionem, cuius est alios docere, conciones ad populum habere, Christi fidem, & Religionem propagare. In secundo, eam, quæ in vitæ contemplatiuæ studia, & officia incumbit: in postremo, eam, quæ in vitæ actiuæ operibus exequendis, & obeis versatur. Id colligit, quia triplex est vitæ Christianæ ratio. Aut enim est vita simpliciter contemplatiua, aut actiuæ simpliciter, aut ex vtraque mixta, & composita: & hæc ait esse duabus prioribus perfectiorem: Tum, quia hæc Christus Dominus tenuit, ac in ea sese Apostoli exercuerunt, tum, quia duas priores suo quasi ambitu amplexatur, & continet. Secundo loco contemplatiua actiuam vincit, ac superat præstantia, & dignitate. Vtraque enim est adumbrata in duabus sororibus Magdalena, & Martha; in Lia quoque, & Rachele. Scriptura verò de Magdalena testatur, eam optimam partem elegerisse, de Rachele verò, fuisse Lia pulchriorem. Ergo Religio, quæ in contemplatione occupatur, perfectior est ea, quæ tota in actione consistit. At verò Henricus quodlib. 12. q. 28. omnino diffidet, vitam, quæ in contemplatione versatur, esse potiorem ea, quæ est in actione posita. S. Thomas Gregorij Magni testimonijs suam sententiã nititur meritò

Luc. 10.  
Gen. 29.

merito comprobare, qui ait homil. 14. in Ezech. *Pars Marthe non reprehenditur, sed Marie laudatur: Neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam, ut etiam pars Marthe, bona indicaretur: Et homil. 3. in Ezech. Dne sunt, inquit, sanctorum Predicatorum vitæ: Actiua scilicet, & Contemplatiua; sed actiua prior est tempore, quam contemplatiua, quia ex bono opere tenditur ad contemplationem: Contemplatiua autem maior est merito, quam actiua, quia hæc in usu presentis operis laborat, illa vero sapore iustitiam venturam iam requiem degustat. Paulo inferius: Quamuis actiua bona sit, melior tamen est contemplatiua. Vnde dicitur: Maria optimam partem elegit. Hæc ex B. Gregorio. Sed Henricus suam quoque opinionem ex eo deducere contendit, quod in c. Nisi cum pridem, De renuntiatione, habetur: Maria optimam partem elegit; sed licet vita contemplatiua sit magis secunda, actiua est fructuosior: illa est suauior, hæc utilior, cum in fructu dicitur sobolis, lippitudo Lize, Rachelis pulchritudini præferatur. Hæc Pontifex eo loco: ubi optimam partem, quam Maria elegit, videtur exponere, non, ut B. Thom. potiorum merito, & dignitate, sed tutiorem.*

*Animaduertendum est, vitæ Christianæ perfectionem in charitate consistere: & cum dilectione Dei se proximi dilectione perfectior; sequitur, ut id vitæ genus, quod in Deo diligendo versatur, sit perfectius, quam id, quod proximi dilectioni studet. Rursus nomine vitæ contemplatiuæ B. Gregorius, S. Thomas, & Patres non intelligunt id vitæ institutum, quod nuda, & simpliciter Dei speculationem proficitur: sed quod se exercet in contemplando Deo, eoque diligendo: ita ut sit positum in rerum diuinarum contemplatione cum Dei amore coniuncta: Nomine vero vitæ actiuæ non solum accipiunt id vitæ genus, quo quis ea virtutum munera, & officia præstat, quæ ad se ipsum spectant, sed etiam quo in his virtutibus se exercet, quæ ad aliorum commodum, & salutem pertinent, cuiusmodi sunt opera, & officia misericordie, & pietatis in proximis.*

*Quibus positis, nihil mirum videri debet, quod B. Gregorius, & S. Thomas vitam contemplatiuam actiuæ præferant merito, & dignitate. Quoniam perinde est, ac si dicerent id vitæ genus præferre, quod in Deo contemplando, amando, ac perfructuando consistit. Nec idcirco negat simpliciter S. Gregor. aut S. Thomas vitam actiuam contemplatiuæ anteponi, hoc est, esse fructuosior, vtilioremque: sed ideo potiorum contemplatiuam vterque vocat, quia nequaquam in hac vita definit, sed durat, ac perseverat in patria. Deinde, quia vita contemplatiua in hac vita typum, & similitudinem gerit illius, quæ expectatur in cælo futura. Quare vita actiua mihi videtur fecundior, vtilior, fructuosior, contemplatiua tutior, sedatior, & lenior: Actiua operosior, laboriosior: Contemplatiua suauior, & iucundior: Actiua, humilior, & demissa magis: Contemplatiua superior, & altior. Idem Gregorius locis citatis aperte fatetur actiuam filios generare, contemplatiuam non item. Idem Gregor. ut citat S. Thomas, in opusculo. 18. c. 21. nullum esse, ait, sacrificium Deo gratius, quam salutem animarum. Item in c. Licet, de regularibus, & transeunt. dicitur, doctrinam, laborem, & sollicitudinem Episcoporum, Religiosorum silentio, cõtemplationi, & quieti præferri. Adde, quod commune bonum præstat priuato: quis enim negat plus esse illuminare,*

*quam lucere, calefacere, quam calere? Non igitur vita cõtemplatiua omni ex parte est actiua perfectior; nisi quatenus cõtemplatiua tota in Deo diligendo consistit, & actiua præcisè in cõmodis proximis curandis. At verò actiua, quæ ex Dei cõtemplatione, & amore profecta, saluti proximorum studet, eatenus contemplatiua videtur esse præstantior: nam & Deum amat, & colit; & præterea vtilitati aliorum inseruit.*

*Septimò Queritur, An perfectior sit status Religiosorum communem vitam, quam solitariam agentium: hoc est, an vita Cœnobarum sit melior, quam Eremitarum vita Monastica. De hac questione extat apud Cassianum collat. 19. c. 3. Ioannis Abbatis sententia, qui in Cœnobarum conuentu triginta annos egit; & deinde alios viginti in solitudine, & tandem in ætate illa extrema ad priorem vitæ cõsuetudinem vltro sese retulit, & cum de vtriusque vitæ instituto rogatus responderet, videtur institutum communiter viuendum solitariæ vitæ præferre. Basilius ibidem in Regulis suis disputat. 9. 7. De hac ipsa questione differens, ait se ita sentire, ita intelligere, ad multa vtilius esse, si vno, & eodem in loco plures simul viuant. Et Bernardus de hoc argumento tractans epist. 115. inquit: Malum, quod nemo videt, nemo arguit. Vbi non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conuentu verò bona, si qua faciunt, nemo prohibet, malum autem facere si vis, non licet. Mox enim à pluribus deprehenditur, arguitur, emendatur: Sicut è contrario bonis, quod vident plures, mirantur, venerantur, imitantur. Et tandem respondet S. Thom. 2. 2. q. 188. ar. 8. in Religiosos perfectos vitam solitariam cadere, ita ut perfectiorum sit, alieno ductu, & magisterio minime indigentium: nam eo ipso, quod est solitaria, aliorum præsidio non eget, sed per se ipsa sibi sufficit. Quare secundum eam partem, perfectorum Monachorum est propria. Sic ille. Cæterum Religiosorum in vnam societatem coeuntium vita commodior est, quia vtilior, fructuosior, & actiuosa magis: eo quod, qui cõmuniter viuunt, alij aliorum consilij, monitis, & doctrinis iuuantur, bonæ vitæ exemplis accenduntur, instar candentium carbonum, & more militum sub eodem duce pugnantium, mutuo se excitant, & inflammant. Illa est durior, & arctior vita; hæc mitior, & tolerabilior: illa tranquillior, hæc turbulentior; illa securior, hæc sollicitior; illa pacatior, hæc fecundior.*

*Octauò Queritur, An perfectior sit Religiosorum status nihil proprium, siue cõmuniter, siue priuatim habitum, quam eorum, qui aliquid communiter possident. S. Thom. 2. 2. q. 188. ar. 7. videtur asserere, nihil de perfectione paupertatis derogari, etiam si aliquid in cõmune possideatur, nepe annui redditus, prædia, possessiones, & alia bona stabilia, quæ immobilia appellantur. Quæ S. Thomæ sententia videtur auctoritate Pontificia fulciri. Nam Ioan. 22. in extrauag. quæ incipit: Quia quorundam, De verb. signific. sic ait: Nec hoc scilicet in cõmuni, & quo ad proprietatem, aliqua habere, derogat, iuxta dictum Gregorij IX. prædicti altissima paupertati, qui in quadam sua decretali dicit expresse Fratres Predicatores, & Minores in altissima paupertate Christo Pauperi famulari, & tamen constat ipsos Predicatores habere in cõmunitatem, quo ad proprietatem, aliqua, quod eorum Regula, &*

statui non repugnat. Hoc idem confirmat ibi Pontifex auctoritate Alexandri Pontificis, qui dicit Prædicatores, & Minores Euangelicâ perfectionem sectari. Sed alijs oppositum probabilius videtur, quoniam paupertatis est omnium rerû abdicatio: at maior est abdicatio, quâ nihil proprium priuatim, & communiter possidentur.

Deinde, quia Nicolaus III. in cap. *Exti, qui seminatur*, de verb. signific. in 6. aperte docet sanctiorem, & fructuosiorē esse paupertatem, quâ nos rerum dominio etiam in commune abdicamus: & Christum Dominum vtriusque paupertatis exemplum reliquisse, vt perfectos, & imperfectos verbo, & facto doceret. At enim Pontifex: *Dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum non tam in speciali, quàm etiam in communi, propter Deum, meritoria est, & sancta: quam & Christus vitam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis Ecclesie, prout ab ipso fonte hausserant, per doctrinam, & vitæ exempla in eos deriuauerunt. Et paulo inferius ait: Eius non obstat, quod Christus per discipulum loculos habuerit; quia in suis actibus, & hominibus imperfectis, & perfectis, ac infirmis exemplum proposuit: Sic infirmorum personam suscepit in loculis. Egit namque Christus, & docuit opera perfectionis: egi etiam infirma, si cui interdum patet in fuga, ac in localis, vt perfectus, & imperfectus se vitam salutis ostenderet. Hæc ibi Pontifex. Constat aperte Christum loculos habuisse, vt imperfectorum personam sustineret; & nihilominus alia perfectionis opera præstitisse. Nam aliquando nihil eum priuatim, neque communiter habuisse sacra Euangelia testantur. Nam Matth. 5. clarè dicitur: *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Aliquando verò legimus Iudæ habuisse loculos, in quibus ea, quæ mittebantur, portabat. Et Ioan. 4. Discipulos abijisse in ciuitatem, vt cibos emerent. Et Ioan. 6. Christum dixisse Philippo: *Vnde ememus panes, vt manducet hi.* Item Innocentius V. *vt habeat in extraneis ciuitatibus, quorundam, dixit aliam paupertatē esse, habere pauca propria propter Deum altiore, quæ nulla propria habet in particulari, tamen habet in communi: altissimā, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in particulari, nec in communi. Certè negari non potest, quin paupertas sit maior, seuerior, & arctior, quia nihil communiter, aut priuatim habetur, quàm ea, quæ rerum dominium priuatim respicit, & abijcit, non communiter: nec hoc vnquam S. Thomas negauit, vt statim dicam.**

Obijcies Apostolos, & eorum discipulos aliquid communiter possedisse, vt in Actis Apostolorum c. 4. Lucas commemorat, & nos supra ex eodem retulimus: & tamen religiosam, & perfectam vitam profitebantur. Respondeo, eā vitam decessisse primos illos Christianos, quia non solū erant Apostoli, & discipuli Christi Domini, sed etiam multi, qui ex Iudæis, & Gentibus Christo sese adiunxerunt, & communem vitam agentes omnia sua in commune contulerunt. Deinde obijcies, quod tradit Prosper, & refertur 12. q. 1. c. *Expeditis*. Satis ostenditur, & propria debere propter perfectionē contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesie facultates, quæ sunt profectō communes, possideri. Respondeo, ibi Prosperum loqui de perfecta vita Episcoporum, & Præfectorū Ecclesie, qui sunt in statu perfectio-

nis docendæ; & idcirco non conuenit eis ratione sui status rerum, & bonorum abdicatio: nec eorū perfectioni quicquam detrahitur, si bona cōmunia possideant: nec inficiatur, arctiorem, & perfectiorem esse paupertatē, quum nihil priuatim, & communiter possidentur, sed docet, nihil perfectioni vitæ detrudere bona, quæ in cōmune possidentur. Aliud enim est, vitam perfectam tenere, & seruare, aliud arctissimam paupertatem profiteri: Episcopi sunt in statu vitæ perfectæ, videlicet, quam docere debent. At verò Religiosorum status est perfectionis comparandæ, & addiscendæ, cui plurimum prodest arctissima paupertas, ne ipsi Religiosi sollicita rerum acquirendarum, & conseruandarum cura vexentur, neque eorum iactura, & amissione conturbentur.

Oppones itidem: Sanctus Augustinus, Sanctus Benedictus, perfectiorum Religionum instituta fundarunt: quæ tamen aliquid communiter possident. Respondeo, eos instituisse perfectas Religiones ratione finis, & aliorum multorum, quæ in ipsis seruantur, licet rationem paupertatis arctissimæ non præscriperint. At verò quamuis paupertas, quæ nihil communiter possidentur, sit per se arctior, & durior: nihilominus tamen Religio aliquid in commune possidens, ratione sui finis potest esse perfectior, & sanctior, vt potest, quæ suam sibi propositum potiore respiciat, ad quem finem assequendum, sit aptius instrumentum, atque præsidium paupertas, quæ aliquid cōmuniter habeat, atque retineat. Vt si sit instituta Religio ad studia literalia, ad docendos alios, ad fidem Christi, & religionem propagandam, accommodatum magis, & idoneum videtur esse instrumentum paupertas, quæ aliquid communiter possidentur. Et hoc est, quod docuisse S. Thomas mihi videtur, nihil de perfecta Religionis statu, & vita detrahi, si aliquid cōmuniter habeat, quoniam ratione finis potest vna Religio esse perfectior altera, cui ad suum finem adipiscendum commodior, & aptior sit paupertas, quæ ex facultatibus, & bonis in commune collatis triquillè, & pacatè viuunt. Nihil ergo S. Thomas docuit, quod cum Nicolai Pontificis decreto pugnet: nā Pontifex solum definit paupertatem, quæ nihil priuatim, & communiter possidentur, esse arctissimam, & perfectissimam paupertatem; & hoc S. Thomas non negat, sed docet nihil perfectioni Religionis detrahi, si bona in commune possidentur: quia non eo ipso, quo Religio est pauperior, est perfectior.

Postremò, obijcies id, quod initio huius questionis Ioan. 22. in extraneis ciuitatibus constituit. Respondeo, solum ibi Pontificem docuisse arctissimam esse paupertatem Religiosorum nihil proprium habentium, mendicantemque proficentium, non tamen negasse varios esse huius paupertatis gradus, quibus vna mēditas sit arctior, & seuerior, seu durior altera. Docet quoque ibi Pontifex Mendicantium Ordinum paupertatem esse cum vitæ perfectione Euangelicâ coniunctam; sed nihilominus dubitari nequit, quin Euangelicæ vitæ professio vna sit alia longè maior, & arctior. Quare duo Pontifices Nicolaus III. & Ioannes XXII. in hac parte sibi non aduersantur.

Nonò Queritur, An Religio, quæ viliori, & aspe-

riori vestimenti genere vitur, fit perfectior, & melior ea, quæ minus asperum, & vilem vestitum ex instituto deferendum præscribitur. Respondeo, ex ea parte esse arctiorem, asperior, durior, & feuerior. Nam Religio est lugentium, poenitentium, & mundana contentumium schola, quos decet vilior, abiecior, asperior, & durior amictus. At Religiones sunt etiam institutæ ad docendum, ad Christi fidem, & religionem propagandam, & tuendam: & ex hoc capite potest Religio esse perfectior, cum in altiore, & potior finem sibi propositum, se, suaque omnia referat, quamuis iustus de causis vitur habitu minus vili, duro, & asperos; sed magis ad suum finem assequendum accommodato. Et S. Thoma teste 2. 2. q. 185. art. 6. perfectior est Religio, quæ ad potior finem dirigitur, & quæ aptiora ad eum obtinendum præsidia, & instrumenta adhibet. Nec tamen è conuerso, quo perfectior est, eo debet esse feuerior, asperior, & arctior.

**Decimo** Queritur, An Religio, quæ aliam arctiori obedientiæ voto, & vinculo superat, fit ea perfectior. S. Thomas, cuius sententia communis consensu omnium recepta est, docet. 2. 2. 186. art. 3. trium votorum, quæ Religionis vis, & natura postulat, potissimum esse Obedientiæ votum, quippe quod vberior, & ampliore materiam amplectitur, cum se in omnia virtutum officia late fundat. Deinde, quod voluntatem hominis, aliene subiiciat, & obliget. Vnde Gregorius lib. 35. Moral. cap. 12. obedientiam victimis anteponit: eo quod per sacrificia aliena caro, per obedientiam propria voluntas immolatur. Ex quo fit, vt Religio, quæ maiori obedientiæ vinculo aliam vincit, ac superat, fit hac ex parte perfectior. Non tamen eo ipso est arctior, & feuerior: nam ab alia vincit potest vigilijs, ieiunijs, abstinentijs, silentio, solitudine, & alijs multis vitæ durioris studijs, & officijs.

**Vndecimo** Queritur, An Religiosus lege aliqua compellatur ad vitæ Christianæ perfectionem ita comparandam, vt in ea procedere, & progredi debeat? S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 2. respondet, Religiosos non eo ipso, quo sunt in perfectionis statu constituti, perfectam habere charitatē, in qua vitæ Christianæ perfectio consistit; enitendum sibi tamen esse, vt illam assequantur. Vtrumque colligit, Primum quidem, quia sicut Philosophus, eo quod fit sapientiæ studiosus, non continuo est sapientia præditus, sed in eius studium, & curam incumbit, ita Religiosus, quia vitæ Christianæ perfectioni studet, non ideo vitæ perfectionem comparauit. Deinde, qui aliquo progreditur, vel currit ad metam, nondum eo peruensisse, aut metam attingisse dicitur: at Religiosorum status est quidam veluti progressus, & cursus ad vitā, charitatemque perfectam: ergo nōdum ad eam peruensisse censetur.

**Sed** quæstio est, an peccet Religiosus, si ad vitæ perfectionem progressum non faciat? Caiet. 2. 2. q. 186. art. 2. s. Ad euidenciam horū, distinguit in hunc modum: Aut Religiosus vitæ perfectioni non studet: Aut in animum inducit ad perfectā vitam non progredi, ita vt secum ipse mente dicat, nolo in vitæ perfectione progredi: Aut vitæ perfectionem cōtemnit. Primum, in opere, & fa-

cto consistit, quo quis opera perfectiora prætermittit. Secundum, in actu voluntatis interiore positum est, quod est nolle in vita Christiana proficere. Tertium, in quadam contempione, & despectione situm est, qua vitæ Christianæ perfectio Dominico consilio nobis proposita negligitur tanquam inanis, & futilis. In primo, inquit, nullū per se inest peccatum: in tertio lethale peccatum committitur, quoniam ipse Christus vitæ perfectionis auctor, & magister contemnitur. Secundum verò, culpa veniali non caret, quoniam firmo animi proposito nullum in perfectione processum faciēdi; aditus intercluditur Spiritus sancti, qui ad perfectiorem semper vitam homines promouet. Hactenus ex Caietano.

Hæc quæstio meo quidem iudicio vtilis est, sed aliquando implicata, & difficilis: eadem prorsus est, atque ea, quam ibi ponit S. Thomas, num Religiosus ad omnia consilia implenda vi, & ratione status, conditionisque suæ adigatur. Cui quæstioni ipse respondet nulla lege adstringi ad ea omnia præstanda: curare tamen Religiosum debere, vt ea exequatur, & præstet. Contra quod inquit, facit is, qui contemnit. Vnde non peccat, qui ea prætermittit, sed qui despicit. Verba S. Thomæ in eo loco sunt: *Manifestum est aut, quod ille, qui operatur ad finem, non ex necessitate conuenit, quod iam assequutus sit finem, sed requiritur, quod per aliquam viam tendat ad finem. Et ideo ille, qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, vt habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione non tenetur ad hoc, quod illa impleat, que ad perfectionem charitatis consequuntur; tenetur autem, vt ad ea implenda intendat, contra quod facit contemnit: vnde non peccat, si ea prætermittat, sed si ea contemnat.* Hæc S. Thomas. Deinde infert S. Doctor, ea consilia seruari oportere, quibus ad vitæ perfectionem peruenitur, quæque Regula præscribit, quam est instituto Religiosus proficetur. Est etiam eadem quæstio, quam ille ibidem attingit, an Religiosus vlla lege cogatur præstare, ac facere omne bonū, quod potest, iuxta illud Sapientis Ecclesiast. 9. *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Cui quæstioni respondet in solutione secundi argumenti, sicut quilibet, inquit, si faciat omne bonū, quod potest, prout sui status conditio postulat, non peccat, si meliora non agat; dūmodo absit contemptus ea faciendi, quo ad maiorem perfectionis profectum iter obstruitur. Sic etiam Religiosus, seruatis ijs, que debet, non peccat, si reliqua omittat, modo non contemnat illa. Hæc omnia ex S. Thoma. Vnde colligit Caietanus eo loco, nihil Religiosum peccare, si non omnia Christi consilia perficiat, dūmodo ea præstet, qui sui instituti ratio, & regula præcipit; lethali ter verò delinquere, cum Evangelica consilia contemnit; at venialiter, si secum statuat firmiter nolle illa præstare. Sic etiā ait Silu. religio. 1. quæstio. 3. vbi dicit, Religiosum peccare; si apud se statuat tantummodo omne lethale peccatum cauere, præceptis omnibus, votis, & instituti obligationibus seruatis, & consilia omnia prætermittere. Hoc enim, inquit, est, quod ait S. Thomas, consilia contemneret. Nā Religiosus, quatenus talis est, debet in perfectione progredi, id est, vt exponit Siluester, in animo habere, ad perfectionē progressum, & gradū facere, quāuis in perfectione minimè pcedat. Et pro-



inde, inquit, non peccat, si decernat hoc, aut illud consilium exequi, cetera non item: peccat tamen nolens vllum in vniuersum Dominicum consilium sequi. Eodem ferè modo, quo Siluest. loquuntur Asten. in sum. lib. 6. tit. 47. ar. 1. q. 3. Antonin. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 1. Angel. religiosus, q. 27. Tabien. religio. q. 4. cū aiunt, Religiosum non esse mendacem, si non sit perfectus, sed si ab intentione perfectionis voluntatem, & animum reuocet.

Contra Caietanum tamen, & Siluestrū opponunt alij, dicentes: Si Religiosus non peccat consilia omittendo, nec peccat volens ea prætermittere. Nā si tuta conscientia omittit, cū sciens, ac volens ea omittat, consequens est, vt non peccet, etiā cum ea sequi recusat. Deinde, peccatū nō est, nisi præceptum aliquod violatur: sed Religiosus nullum consilium volens exequi præter ea, quæ vi sui voti, instituti, & regulæ obire, & facere debet, nullum præceptum violat, nullā legem perfringit, ergo nō peccat. Postremò, si peccaret, id propterea esset, quonia vt Religiosus est, debet in perfectione procederet in de fieret, vt quoties delinquit, duplex peccatum admitteret. Item, peccaret, quoties aliquid agit, & in perfectione progressum non facit.

In hac itaque questione S. Thomas mihi videtur locutus de Religioso eodē modo, quo de eo, qui talis non est, cum ait, in eo articulo, & questione citatis in responsione ad 2. & ad finem ipsius articuli. Quæ admodum secularis, si decernat omnia præcepta seruare, & omne consilium prætermittat, nō peccat, nisi consilia contēnat: ita Religiosus si constituat omnem legem seruare, Vota itē, & quicquid Regula sui instituti fieri iubet, & consilia prætermittat, dummodo illa non contēnat, nō peccat.

Iure tamen ambigitur, quid velit S. Thomas his verbis: *Dummodo ea non contēnat*. Caietanus, & Siluester interpretantur; si ea per contemptum non omittat: Si item in animo eius nō sit omnia prætermittere; hoc est, dummodo apud se mente non dicat: Nullum consilium seruare, & sequi volo: aut, Nolo in perfectione vitæ progredi. Mihi in primis videtur sub obscure S. Thomas locutus, sicut etiam B. Antoninus, Angelus, & Astenis loquuti sunt. Deinde iuxta sententiam quorundam Caietanus, & Siluester mentem S. Doctoris non satis certo, & explorato sensu videntur affecti, dum docent Religiosum in prædicto animi proposito peccare, quia vi, & ratione sui status debet in vitæ perfectione procedere, contra quod agit, dum eo animo est, vt nullum consilium sequi, & implere velit, præter ea iam ante à se suscepta, vi voti, instituti, & Regulæ. Nam S. Thomas, inquit, secularem hominem similiter peccare restatur; si præceptis tantummodo seruatis consilia contēnat: & tamen seculari vi sui status non debet in vitæ perfectione proficere. Ergo videtur, aiunt, S. Thomæ mens fuisse, dum inquit: *Dummodo ea non contēnat*. Si ea non per contemptum prætermittat, quo etiā loquēdi modo vtitur B. Antoninus: at despectio, & contemptio non est, si secularis constanter, & fortiter statuens omnem legem implere, nullum velit seruare consilium. Sic etiam Religiosus nō videtur contēnere consilia, si habeat in animo seruare omnem legem, præcepta, & consilia vo-

to suscepta, & quicquid institutum, & Regula iubet, nolens cetera consilia exequi: is enim, inquit, solummodo consilium contēnit, & despicit, qui tanquam vanum, & inutile prætermittit, aut negligit, aut qui vult, vt ipse consilij auctor despectus habeatur, non autem qui omittit ea tantum ratione, quia videt nullum in consilio subesse præceptum, nullam legem imponi, nihil sibi imperari. Quare aiunt, nullum peccatū inesse videtur in prædicto Religiosi hominis proposito: aut si vllum est, non ob eam causam, quam Caietanus, & Siluester reddiderunt, eo quod Religiosus debeat in perfectione vitæ procedere, sed quia tam secularis, quam Religiosus peccet, si solum velit ea præstare, quæ debet: eo quod nemini liceat apud se firmè decernere, nihil aliud efficere, nisi id quod ratione sui muneris, & officij debet. Hæc enim voluntas præterquam, quod Euangelicis consilijs aditum præcludit, hominē quoque ipsum periculo exponit, quo facilius diuinas leges, iura, & præcepta perumpat. Hæc quidam contra Caiet. & Siluest. Mihi primum dicendum videtur, Religiosum peccare, si apud se statuatur, & dicatur, nolo ad perfectionē vitæ progredi: quoniam deficit ab eo, quod præstare debet: eo ipso, quo Religiosus est, debet ad vitæ perfectionem tendere, debet perfectioni studere: & hoc est, quod S. Thomas, B. Antoninus, Astenis, Angelus, Caietanus, & Siluester docuerunt. Secundo dicendum existimo, Religiosum, qui vult omnia præcepta seruare, & quicquid vult, implere, & exequi, & obire, quicquid instituti regula iubet, eo ipso, velle ad vitæ perfectionem progredi: quia hæc omnia, quæ dixi, ad vitæ perfectionē dirigitur. Tertiò, Religiosus, qui vult quidem omnia, quæ dixi, præstare, seu facere; sed nihilominus apud se statuit; cetera omnia consilia prætermittere, non quod ea contēnat, sed quod ea velit omittere, quia præcepta non sint, peccare mihi videtur, vt Caiet. & Siluest. dixerunt: non quod peccatum sit in omittendo consilium, sed in firmando animum, & voluntatem contra consilium. Nam quamuis liceat nobis omittere consilia; fas tamen non est animum deliberata ratione, & proposito contra Dei consilia firmare: ne nobis aditum obstruamus ad Spiritum sanctum, qui semper nos promouet ad meliora, & perfectiora.

Obijcies, Religiosus, quatenus talis est, non debet in vitæ perfectione proficere, ergo nō peccat, si proficere recuset. Respondeo, Religiosum non peccare, si in vitæ perfectione minimè procedat: peccare tamen, si nolit proficere. Caietanus, & Siluester fatentur, eum non peccare, si consilia omiserit: non tamen fatentur, eum non peccare, si nolit proficere. Sed & argumentum directò dissoluet, qui dicit, Religiosum, vt tale debere in vitæ perfectione progressum facere, quia debet promissa persolvere, & quicquid institutum, ac Regula iubet, obire, & exequi, quæ omnia præter diuinæ legis præcepta suscipit. Quare quamdiu vota, & sui instituti Regulam seruatur, Dei consilia præstat, & progressum in perfectione facit: quoniam et si vota instituti que sui præcepta custodire, & obseruare eum oportet, nihilominus tamē sunt Dei consilia, quibus ei spo-

tè se Religiosus obstrinxit. Deinde oppones: Religiosus, qui statuit nihil aliud efficere, nisi quod debet, se multis peccatorum periculis obijcit; nā timere debet, ne vota, aut sui instituti leges, & iura aliquando perfringat: quo grauius peccat. *Respondeo*, negari non posse, quin Religiosus votis, & Regulæ præceptis adstrictus peccet, si se peccati periculo exponat, in ijs faciendis, quæ alioqui exequi, & obire Superiorum iussu, legē, aut regulæ præcepto compellitur: sicut etiam secularis, si decernat præcepta tantummodo seruare, delinquit, si ex hoc, quod firma animi deliberatione constituit omnia in vniuersum consilia prætermittere, in peccati periculum incurrat. Et reuera, qui talia decernunt, ac statuunt, non raro se huic periculo, & discrimini opponunt.

Quare disitendum non est Religiosum periclitari, si ab abstinentijs, & ieiunijs desistat, ac cesset, si se profanis negocijs implicet, si passim silentium contra Regulam perfringat, si nihil studij, curæ, & diligentie in rerum spiritualium meditatione ponat, si frequenter sui instituti Regulas, & Superiorum consilia prætermittat, si nunquam in rerum caelestium contemplationem, & salutarem librorum lectionē studium conferat, si cogitationes, & affectus animi non reprimat, si sensus corporis non moderetur, ac temperet, si nihil curet corpus castigandum, carnem mace- randam. Tertiò oppones: Religiosus pluribus est vinculis obligatus, quā is, qui nullam Religionis Regulam proficetur: ergo grauius peccat, si Dei consilia non seruet. Deinde, videtur grauius peccare, si Dei consilia sequi renuat; tum quia contemnit ea, tum quia obstinatori est mente, & voluntate: sicut is etiam delinquet, qui voueret, se nullum Dei consilium seruaturum. *Respondeo*, Religiosum pluribus esse vinculis alligatum, quoniam est tribus votis adstrictus: nec ideo contemnere consilia, quia recuset ea sequi, & seruare: is consilia despicit, qui ea prætermittit, vt inutilia, futilia, & vana, aut quia sunt à Deo proposita, & data. Votum verò omittendi consilia in vitio, & culpa est, quia vanum, & Deo minimè acceptum, & gratum. Item voluntas, qua animus firmatur, ne Dei consilia seruemus, peccatum est, quia vanum, & temerarium est, sic animum firmare.

*Duodecimò* *Quæritur*, An Religiosus grauius peccet, si idem peccati genus committat, quod secularis? *Respondeo* S. Tho. 2. 2. q. 186. art. 10. & eū sequutus *Astensis in sum. lib. 6. tit. 47. art. 2. quest. 6.* Angel. *religiosus. q. 65.* *Siluest. religio. 6. q. 14.* & *Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 10. §. 2.* deterius peccare, si votum violet; scilicet si aliquid, vt sibi proprium capiat, si non pareat, si cum foemina rem habeat. Deinde, si per contemptū delinquat, quia est magis ingrato animo in Deum. *Postremò*, si cum peccat, in alterius offensionem incurrat, si suo exemplo, alios ad malum inuitet, flectat, & moueat: illoqui leuiora sunt in Religioso peccata, quia solent esse minus voluntaria. Religiosus non se in peccatum abijcit, non se præcipitat, labitur quidem, sed se sustinet, quātum potest, rursusque statim erigit ad saniores mentem reuertitur, quia pluribus, & longè maioribus vitæ bonæ præsidijs adiuuatur, ex quo fit, vt cum cadit, de

furgendo cogitet, nec ita grauius allidatur, nec sit pronior ad relabendum: nam post lapsum fieri solet cautior, & firmior. *Conuenit* quoque cū S. Thoma, *Basiliius in Regul. breu. cap. 51.* qui cū quæreret, num in Religioso peccata æqualia essent, atque in cæteris hominibus, responderet, Religiosus, cum de quærenda Dei gratia sollicitus sit, & in ea totus laboret, non de industria, sed casu aliquo, & præter sui animi sententiam labitur.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

IOANNIS AZO-  
RII LORCITANI, E SO-  
CIIETATE IESV,

INSTITVTIO-  
NUM MORALIVM,

LIBER XII.

De Religioso Statu.

CAPVT PRIMVM.

De ingressu in Religionem.

**N**imaduertendum est, ingressum in Religionem aliquando appellari, cum quis per professionem in Religiosorum sodalitatē admittitur: ita vt ingressus huiusmodi, vt dicā inferius, nihil aliud sit, nisi Religionis professio, qua quis verè, & propriè, & simpliciter Religiosus efficitur: & hoc modo sumitur in cap. *Quia ingredientibus. 19. questio. 3.* & in *Ambrosio. Ingressi. c. De Sacrosanct. Eccles.* Sed interdum ingressus, est cum quis Religionis habitum suscipit, & inter tyrones, ac Nouitios censetur ad probationem receptus: & de hoc in Religionem ingressu in præsentia disputamus.

*Primò* *Quæritur*, An in Religionem ingressum debeat consultatio diuturna præcedere. Hanc quæstionem tractat S. Thomas *secundā secundæ quæstio. 189. artic. 10.* vbi quærit, vtum sit laudabile, si aliquis religionem ingrediat, absque multorum consilio, & diuturna deliberatione: & respondet, de ipso in religionem ingressu per se nihil consultari oportere: nam religionis institutum CHRISTI Domini consilium est, & ingressus in religionem est melioris vitæ susceptio: qui hoc dubitat, CHRISTI DOMINI auctoritati plurimum derogat, qui de religiosa vita amplectenda consilium dedit. Nec, inquit, S. Thomas consultare quis debet, an vites habeat ad religionis iugum deferendum, quia qui religionis institutum capessit, non suis viribus inni-

tuntur,